DE

METRORRHAGIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITERARUM GRYPHICA

PRO SUMMIS

MEDICINAE, CHIRURGIAE, ARTISQUE

OBSTETRICIAE HONORIBUS

DIE X. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCXXXVIII

H. L. Q. S.

1838

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FLORIANUS MARIA ADVENA

MONASTERIENSIS - GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

G. KROEGER, MED. ET CHIR. DR.

C. RETENBACHER, MED. ET CHIR. DRD.

F. SCHUELLER, MED. ET CHIR. DRD.

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, ERUDITISSIMO, AMPLISSIMO,

F. A. G. BERNDT,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI,
ORDINIS DE AQUILA RUBRA CLASSIS QUARTAE EQUITI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, MEDICINAE PRACTICAE, ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, CLINICI MEDICI ET OBSTETRICII GRYPHISVALDENSIS NEC NON SCHOLAE MEDICO-CHIRURGICAE DIRECTORI, REGIAE ACADEMIAE MEDICAE, QUAE IN GALLIA FLORET, FACULTATIS MEDICAE PESTHINENSIS, SOCIETATIS DOCTRINARUM CHEMICARUM ET PHYSICARUM, AGRICULTURAE ET INDUSTRIAE FRANCOGALLICAE, MEDICORUM SUECICORUM HOLMIENSIS, MEDICORUM BADENSIUM AD PROMOVENDAM MEDICINAM FORENSEM, SOCIETATIS MEDICAE LUGDUNENSIS, DIVIONENSIS ET LIPSIENSIS, MEDICO-CHIRURGICAE HUFELANDIANAE BEROLINENSIS, PHYSICO-MEDICAE ERLANGENSIS, SOCIETATIS AD PROMOVENDAM ARTEM MEDICAM, QUAE IN BORUSSIA FLORET, OECONOMICAE MARCHICAE ETC. ETC. SODALI VEL HONORARIO VEL ORDINARIO,

PRAECEPTORI AESTUMATISSIMO,

FAUTORI SUMMOPERE COLENDO

HAS

QUALESCUNQUE STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMAE EJUS ERGA SE HUMANITATIS

MEMOR

OMNI, QUA PAR EST, REVERENTIA ET PIETATE

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Morborum omnium, in quibus non solum omnes curae cogitationesque totaque medici mens figenda atque collocanda, verum etiam celerrimo promptissimoque opus est auxilio, quum nemo sit, qui possit ire inficias, haemorrhagias uteri primum obtinere locum, partim propter diagnosin praesertim internarum, quae et peritissimo rei medicinae viro impedimenta vix saepe expedienda inferat, partim vero propter periculum morbi ipsum, cui si non citius occurratur, timendum sit, ne matris aut infantis aut utriusque vita in discrimen vocetur; tandem vero quum non raro accidat, ut quamvis sublato in vestigio temporis periculo morbi inde enascantur secundarii, qui sanitatem omnino labefactent, mortemque lente repentem adducant: non mirandum sane, si jam inde ab

antiquissimis temporibus, quibus quidem tum literis generatim tum vero arti medicinae acriore consuleretur studio, in primis autem nostra aetate, qua omnes fere illius disciplinae partes clariore obfundi coeptae sint lumine, viri usu non minus quam scientiis praestantissimi, veluti Clarissimus *Jörg*, *Carus*, *Siebold*, *Mende*, *Busch*, hujus morbi theoriam accuratius tractare easque instituere methodos therapeuticas studuerint, quae et naturam morbi penitus explanarent, et ipsi celerrimum tutumque praestarent auxilium.

At sane haud scio an in nullo alio hujus disciplinae genere, quicunque in ea se profecisse aliquid putaret, ita ingenii vires expertus sit, quam in investigandis contra metrorrhagias remediis; ita ut tanta eorum exsistat turba, quantam accuratius describere non minus laboris, quam rationes dilucide evolvere sagacitatis est.

Itaque non frustra laborem me suscepisse puto, si quae a doctissimis viris de hac re disputata sunt, in ea accuratius inquiram, et quae probiliter tantum exposita invenerim, ea, ut certis factis, ita perscrutanda natura atque indole, neque

experientia minus quam argumentis comprobare coner. Quare literis his primum symptomatologiam, diagnosin atque exitum metrorrhagiarum commemorare, tum prognosin proponere et de methodis therapeuticis denique, quae singulis morbi differentiis conducant, uberius et fusius disputare liceat.

Jam autem morbi, de quo disserimus, tum gravitas ipsa, tum innumera sane contra ipsum propositorum remediorum series, quae non solum ex Materia medica, sed ex Akiurgia, imò ex Electricitate et Galvanismo adjumenta mutuata est, postulat, ut in iis perscribendis aeque ac dijudicandis plus quam in aliis metrorrhagiarum partibus temporis operaeque consumerem: quamquam ne ita quidem fieri poterat, ut omnia complecterer, sed in gravissimis tantum tractandis acquiescere cogerer. In primis autem Secalis Cornuti, cujus efficacitas nostra aetate miris laudibus celebrata est, commemoratio non praetermittenda esse videbatur.

Eo libentius autem hoc dissertationis elegi argumentum, quia non solum mihi contigit, ut in nosocomio Gryphico saepius metrorrhagia correptas

mulieres observandi occasio daretur, verum etiam plures earum meae ipsius traditae essent curae.

Ceterum pietate pariter atque officio impulsus facere non possum, quin praeceptori meo maxime reverendo Regi Augustissimo a consiliis intimis Professori Dr. *Berndt* palam singulares habeam gratias, qui in gravi hoc difficilique argumento summa cum humanitate tam aperiundis quibus indigerem fontibus, quam suis liberalissime perscribendis sententiis, excellentissima mihi praestiterit officia.

Tu autem Lector benevole noli credere, minoris momenti a me judicari hanc disserendi materiam. Tantum enim abest, ut faciliorem illam censeam, ut verear ne viribus non sufficientibus rem adgressus fuerim. Quam si ita saltem tractaverim, ut qualemcunque mihi concedas comprobationem, operam haud perdidisse putabo.

Cap. I.

§. 1.

Definitio.

Vox metrorrhagia a Graecis repetita est: μήτρα uterus, et ῥήγνυμαι cum vi et vehementia elidor et superne decido.

Synonyma sunt: menorrhagia, menorrhoea, hysterorrhagia, haemorrhagia uteri, sanguifluxus uterinus; Gallorum l'hemorrhagie de la matrice, Anglorum bloody flúx of the màtrice: Italorum emorragia della matrice.

Quodcunque uteri enorme sanitatique perniciosum sanguinis profluvium metrorrhagia dicitur. Itaque non solum ea, quae inter graviditatem, partum atque puerperium eveniunt uteri profluvia, sed menstruatio ipsa, quae nimis copiosa aut insolito exoritur tempore, sive maturius incidit, sive saepius repetitur diutiusque permanet, illa, quam dedimus, metrorrhagiae definitione continentur.

§. 2.

Literatura.

Hoffmann, *Fr.*, De haemorrhagia uteri. Hal. 1730.

Friderici, Dissert. de uterina gravidarum haemorrhagia. Argent. 1732.

Götz, *E. F.* praes. *Gebauer*, De salubrietate haemorrhagiae uteri. Erlangae 1746.

Linné, *C.*, Dissert. de uteri haemorrhagia in gravidis. In ejus amoenit. acad. IX. N. 172. Holm. et Lips. 1749.

Erichson, Dissert. de haemorrhagia uteri sub statu graviditatis. Upsalae 1750.

Reichard, De haemorrhagia uteri partum insequente. Argent. 1755.

Kaltschmidt, *C. F.*, De haemorrhagia post partum nimia. Jenae 1751.

— — De partu cum haemorrhagia uterina conjuncto. Ibid. 1762.

Oberlin, *P. J.*, De haemorrhagia uteri. Argent. 1767.

Saxtorph, *M.* respond. *J. D. Guldbrand*, Dissert. de sanguifluxu uterino. Hafn. 1774.

Bezold, *G. F.*, De haemorrhagia uteri partum insequente. Argent. 1780.

Le Roux, Ueber die Blutflüsse der Wöchnerinnen. Aus dem Französ. Köntgsberg 1784.

Hurter, *J. H.*, De sanguifluxu uteri. Götting. 1792.

Busch, *H. L.*, De haemorrhagia uteri. Marb. 1795.

Billing, *J. H. G.* praes. *C. C. Siebold*, Metrorrhagia seu uteri haemorrhagia. Vireeb. 1799.

Le Roy, Ueber die Gebärmutterblutflüsse während der Schwangerschaft, bei und nach der Niederkunft. Leipzig 1802.

Burns, J., Practical observations on the uterine haemorrhagies. London 1807.

Wolff, J. A. B., De metrorrhagia. Lips. 1811.

Siebold, Cl., Programma de haemorrhagiis uteri gravidarūm. Vireeb. 1814.

Bedel, Ch., Consideration sur le hemorrhag. uterin. Strasbourg 1815.

Bigeschi, G., Trattato delle Emoragie uterine nel tempo della gravidenza del parto et dopoparto. 2 Part. Flor. 1816.

Christiaens, S. D., De haemorrhagia uterina in graviditate, partu eoque peracto superveniente. Lugd. Bat. 1816.

Nüsch, G., Von den Gebärmutterblutflüssen während der Schwangerschaft und Geburt von dem Sitze des Mutterkuchens auf dem Muttermunde. Würzburg 1817.

Rigby, E. et *Duncan, St.*, Nouveau traité sur les hemorrhagies de l'uterus; accompagné de notes par Mad. Boivin. Paris 1818.

Boivin, Memoire sur les hemorrhagies intern. de l'uterus. Paris 1819.

Collmann, L., Abhandlung über die Schiefstehung der Gebärmutter unter der Geburt, und die verschiedenen Gattungen und Ursachen der Blutflüsse des weiblichen Geschlechts. Wien 1818.

Kroeber, A. H., De haemorrhagia uteri gravidi. Berlin 1821.

Henne, E. S. A., Dissert. de hysterororrhagia gravidarum parturientium et puerperarum. Pars I et II. Regiom. 1823.

Stracke, J. P. F., Dissert. de metrorrhagia abortiva. Marb. 1824.

Tietzel, T. F. A., Diss. de transfusione sanguinis. Berolini 1824.

Clebsch, E. F. L., Diss. de haemorrhagia uteri in parturientibus et puerperis. Berol. 1825.

Baehrens, A. H., Dissert. de uteri haemorrhagia. Berol. 1826.

Baudelocque, A. C., Traité des hemorrhagies internes de l'uterus. Bruxelle 1832.

Schwabe, C., Monographie der inneren Hämorrhagien des Uterus nach *Baudelocque* bearbeitet. Göttingen 1833.

Busch, G. F. A., De haemorrhagia uteri post partum. Marburg 1830.

Munzert, F. D., De metrorrhagia gravidarum. Erlangae 1834.

Kesselkau, N., De metrorrhagia in quarta partus periodo. Bonnae 1836.

Stanger, J. B., Ueber Gebärmutterblutflüsse. München 1837.

Huc pertinent quoque libri de arte obstetricia aut mulierum morbis disserentium autorum, ut: *Osiandri, Sieboldii, Mendei, Cari, Steinii, Buschii* et aliorum.

Conf. quoque: Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtshülfe von *Busch, Mende* und *Ritgen*. Tom. I. H. II. S. 315.

Cap. II.

§. 3.

Descriptio generalis.

Si de uteri sanguinis profluviis agitur, distinguenda sunt:

1) naturae convenientia profluvia; ut menstruatio, sanguifluxus in quinto partus stadio, et lochia ipsa.

2) morbosa; in quibus numerantur primum quae a naturalibus, praesertim a menstruatione recedunt profluiva, deinde idiopathica morbosa, quae ex varia uteri conditione, diversis quoque et infra accuratius describendis nituntur rationibus.

Priusquam vero in cognoscendas uteri haemorrhagiarum differentias accuratius inquiramus, necesse est, ut in primis omnium in describendis symptomatis, decursu morbisque secundariis, neque minus explanandis causis generatim versemur, ut exinde accuratior differentiarum efficiatur cognitio.

§. 4.

Initium metrorrhagiarum.

Sanguifluxus uteri aut subito sine ullo aegritudinis signo praegresso et proxime datam causam occasionalem insequens proruit, aut ex dispositione corpori insita nascitur, et quibusdam, praesertim si activo induitur charactere, praenuntiatur symptomatis. Quae autem eum aut praenuntiant aut comitantur signa, haec sunt:

Queruntur foeminae de graviditate in extremitatibus inferioribus, dolore in lumbis, dysuria. Adest calor et intumescentia abdominis et genitalium externorum, pruritus in perinaeo, labiis et ano, interdum dolores et intumescentiae mammarum nodosae, et brevi antequam exoritur profluvium, fluidi serosi lymphatici effusio.

Quibus symptomatis conjunguntur saepe febris, horripilationes calorque invicem succedentes, tensio in membris, inquietudo maxima, pulsus inaequalis atque variabilis, plerumque ineunte morbo parvus atque spasticus, deinde autem praesertim paulo ante sanguinis effusionem magis plenus, durus, interdum autem undosus atque dicrotus [1]). Accedunt praeterea dolores capitis, calor totius corporis, palpitatio cordis, oris siccitas, vertigo, nausea et vomituritio.

Quibus prodromis sanguinis profluvium ipsum exoritur, aut celerius aut tardius, saepe cum doloribus parturientium similibus, plerumque in initio parvum atque exiguum, dein adaucta vehementia profusius.

Symptomata autem, quae jam exortum sanguinis profluvium comitantur, ex causis, constitutione, quantitate, et utrum guttatim an haemorrhagiae instar profluat, ex rerum plus minus fausta conditione quam maxime sunt diversa. Si sanguinis profluentis copia est parva, sponte plerumque solet sisti, et si

---

1) Reil de febribus III. §. 108.
Swieten Comment. in Boerhavii Aphorism. IV. §. 1286.

nulla alia morborum symptomata aegram infestant, illa levatam sese recreatamque esse sentit, et quae antecesserant molimina, evanescunt. Majore vero sanguinis copia amissa mors vel repente sequi solet, vel depletionis (ut vocant medici) signa sequuntur: Facies, labia et genae pallent, nasus acuminatur, oculi hebetes fiunt ac subsidunt, sudor tenax totum corpus obducit, sitis maxima, nausea, vomitus, singultus spasticus, susurrus aurium, vertigo et syncope inde sequuntur. Pulsus inde celer, parvus, intermittens, et vix tactu percipi potest. Tum vel convulsiones vehementes vitae finem faciunt, vel aegra lenibus correpta spasmis mortem obit, vel apoplexia nervosa abripitur.

§. 5.

Sanguifluxus qua talis.

Metrorrhagia autem aut externa aut interna esse potest. Interna plerumque non nisi inter graviditatem, partum atque puerperium, obstructo sanguinis coagulis aut ovuli placentaeque reliquiis aut ipso capite infantis aut ut saepius accidit, per spasmum, orifico uteri accidere solet. Adgnoscitur autem interna crescente uteri extensione, calore in regione uterina, frigidis extremitatibus, adaucta debilitate, pallore faciei, animi deliquiis, convulsionibus, et interdum prorumpente parva sanguinis per vaginam copia. Sed de hac maximi momenti metrorrhagia alio loco pluribus.

Quantitas autem sanguinis modo tam exigua esse

potest, ut rectius stillicidium vocetur, modo tam prodiga, ut cum impetu sanguis proruat, et nisi repentinum adferatur auxilium, virium defectio summa, imo mors sequatur.

Sanguis sine mora ex vasis uterinis profluens vel colorem laete rubicundum (arteriosum) vel obscurum (venosum) offert; diutius autem in utero retentus, ater, coagulatus foetidusque adparet; nonnunquam mucum, pus ichoremque intermixtum perhibet.

§. 6.

S e c t i o.

Cadavera omnium haemorrhagia defunctarum mulierum jam si speciem spectas externam, pallidum per omnes partes diffusum colorem perhibent; interdum tantum in albo oculi aut in extremitatibus exiguae ecchymoses inveniuntur. Omnia organa sanguinis inania, plexus choroidei non minus quam cerebrum albidissimi; pulmones collapsi, hepar sine turgore, ejusque color in luridum ex albido flavescentem mutatus. Cor magnaque vasa sanguine vacua atque conlapsa; in utero tantum interdum lumina vasorum et praecipue quo loco placenta adhaerebat, ampla inveniuntur. Praeterea uterus modo putrescentia correptus modo relaxatus sacci instar, modo extensus sed solito densior atque solidior: ex quo factum est, ut impedita contractione sanguis profluvium provocaretur et sustentaretur; modo singulae uteri partes induratae modo adeo ossificatae; modo abscessus vaginae, musculorum pelvis aut uteri

ipsius, modo ruptura, vulnerationes, internaque tunica uteri abrupta inveniuntur. *)

§. 7.

Morbi secundarii.

Qui ex metrorrhagia sequuntur morbi secundarii, pro diversa sanguifluxus natura, quantitate, gradu, constitutione aegrotae, causisque diversi sunt. Aut enim mors insequitur subitanea, aut aliorum morborum series mortem lente repentem adducentium.

a) Metrorrhagiâ inanitas atque cachexia sanguinis exoritur, indeque perturbata reproductio: namque adsimilatio et nutritio primum conflictantur, aegrotae macrescunt: facies inde pallida, pulsus parvus atque irritatus, sudores tenaces, morboque altius progresso ipse hydrops, modo Ascitae modo Anasarca formam induens.

b) Aut, quae res in primis in puerperio et continuato magis quam vehementi sanguifluxu accidere solet, febris asthenica nascitur, facillime in febrem nervosam lentam aut hecticam transitura. Chlorosin quoque ex habituali exortam esse profluvio experientia docuit.

c) Sequitur hysteria propriaque ejus symptomata; inprimis dolores capitis vertigine correpti, neque minus universalis corporis irritabilitas, horripilationes, convulsiones et spasmi omnis generis, chorea St. Viti; melancholia quoque inde ortum duxit.

---

*) Elias v. Siebold Handbuch zur Erkenntniss u. Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Tom. II. Sect. III. pag. 59. Frankf. a. M. 1826.

d) Organorum digestionis debilitas tum ex laesa reproductione tum ex systemate gangliorum unâ adfecto. Saepius obstructiones alvi aegrotas infestant.

e) Morbi locales. — In utero ipso varia evolvuntur mala. Relaxatis haemorrhagia vasis uteri indeque ejus crescente debilitate sanguifluxus in phthisin uterinam transit. Fluor albus chronicus aegrotam vexat et exhaurit. *Reilius*[2]) semel post metrorrhagiam tantam serosi fluidi copiam effluentem vidit, ut totus permadesceret lectus. — Aegra ipsa ad abortum inclinat sublata saepe concipiendi facultate. — Magnus adhuc est numerus aliorum ex metrorrhagia nascentium morborum. Huc pertinent polypi, ulcera, carcinoma, steatoma.

§. 8.

Distinctio metrorrhagiae ab aliis aut uteri aut ejus vicinarum partium profluviis.

1. A catameniis metrorrhagiae his distinguuntur rebus:

a) Haemorrhagia uteri non nisi causa occasionali oritur.

b) Infestat mulieres tempore insolito, quo igitur menstruatio nondum insequutura erat: quamquam negari non potest, menstruas quoque feminas ab ipsa fuisse tentatas.

c) Metrorrhagia neque diuturnitatem neque decursum catameniorum obtinet; aut enim per longius aut brevius continuatur tempus èt modo magnam

---

2) Reilius de febribus. III. p. 243.

modo parvam effundit sanguinis copiam, neque vero certam, ut in menstruatione.

d) Sed qualitas quoque differt ab sanguinis menstrualis qualitate, quem materia fibrina carere inter omnes constat.

e) Symptomata morbosa, dolores, febris, quae supra descripsimus, metrorrhagiam non autem menstruationem normalem comitari solent.

Quo magis autem menstruatio morbi indolem induit, normam et quantitatem solitam egressa, eo magis adpropinquat metrorrhagiae, eoque difficilior est distinctio.

2. Ab haemorrhagiis ex varice aut aneurysmate vaginae aut ex ipsa rupta vagina. Haec enim sanguinis profluvia interdum eam adsequi possunt magnitudinem, ut totam expleant vaginam. Distinguuntur autem ita:

a) Sanguis vaginae omnino liquidus est.

b) Exorta ejusmodi haemorrhagia orificium uteri occlusum manet, ejusque contractio non extra normam est.

c) Digito in vaginam immisso sanguinem non ex ipso utero sed ex vaginae vasis effluere percipitur.

d) Saepius absque medici auxilio sisti solent, quamquam negari non potest, magnum interdum adsequi posse gradum.

3. Sanguinis ex rupto perinaeo profluvia jam oculis ipsis dijudicantur.

Cap. III.

AETIOLOGIA.

§. 9.

I. *Momenta disponentia.*

1. Momenta disponentia universalia.

Metrorrhagias epidemico modo diffusas fuisse experientia probatum est, quamquam hujus rei ratio nequaquam est detecta et disquisita. Quum autem quaedam aëris dispositio absque dubio pneumoniam, hepatitidem aliosque morbos procreare valeat, quis est, qui possit ire inficias, eandem aut similem aëris conditionem exoriundis favere metrorrhagiis? Nimia aut caloris aut frigoris vehementia aut tempestas valde humida ad efficiendas has metrorrhagiarum epidemias maxime pertinuisse ex autorum relationibus intelligitur. Has autem epidemias inprimis gravidas mulieres tentavisse indeque natos esse abortus, observatum est. *Starkius* quidem aestatibus 1795 et 1796, quae tempestate per longum tempus languescente et calida erant insignes, frequentiores metrorrhagias indeque profectos abortus memoriae prodidit [3]).

Neque minus constitutionem stationariam gastricam biliosam in provocandas sustentandasque metrorrhagias vim exercere persuasum habeo [4]).

---

3) Stark's neues Archiv. Tom. II. Stück 2. p. 91.
J. J. Fickius de abortu epidemico. Jenae 1697.
E. v. Siebold in der medicin. Zeitung. Jahrgang 1812.

4) Reil. de febribus. III. p. 309.

2. Momenta disponentia individualia.

1) naturalia.

a) Dispositio ex anatomica et physiologica uteri functione, exorta a pubertatis annis.

Uterus quum sit organum ditissimum vasis, quae maximam partem constant venis, quarum dilatandi facultas maxima, his ipsis rebus dispositionem ad sanguinis profluvia morbosam nanciscatur necesse est. Accedit quod quibus locis apertior est homo, iis ad profundendum sanguinem magis inclinatus, et uterus ipse debilissima et quam minime clausa est pars.

Facilius autem uteri haemorrhagiae accidere possunt, quum natura ita sit institutus, ut per intervalla sanguinem a corpore quasi alienatum effundat. Ea scilicet est uteri functio, ut concipiat, factaque conceptione foetum nutriat; quam ob rem largior sanguinis copia ad eum congeritur, ibique inter graviditatis periodum consumitur, ante et post periodum hanc per vaginam foras propellitur.

Augetur haec dispositio, quo magis uterus tum excipiendo tum excernendo sanguini jam adsuetus est; quod inprimis accidit, quo saepius graviditates et partus perpessus, quo magis his rebus ejus vasa imo totum parenchyma relaxatum est. Haec ipsa est causa, ob quam tempore activitatis vasorum normaliter excitatae, itaque menstruationis, graviditatis atque puerperii, gravissimae oriuntur haemorrhagiae; praeter has periodos autem tunc, si morborum potentia uterus amplificatus, relaxatus et ge-

neratim mutatus est. In quae singula momenta nunc paulo accuratius inquirere non alienum erit:

b) Dispositio ex diversis uteri statibus.

α. tempore menstruationis.

Postquam pubertatis annos indeque concipiendi facultatem adsequuta est virgo, congestione ad uterum facta sanguis ad nutriendum foetum non consumtus critico quasi profluvio exhauritur. Perdurante menstruatione transversa rima uteri in rotundum orificum permutatur, relaxatio exoritur portionis vaginalis, uterusque ipse altius in pelvim descendit. Quibus rebus si dispositio haemorrhagiarum obfertur, augeri adhuc necesse est, si:

1) feminae vigore juventutis corporisque plenitudine excellentis irritabilitas systematis vasorum internis externisque potentiis adhuc augetur: ut nimio corporis motu, abusu ciborum et potuum excitantium, nimia animi exaltatione, gaudio.

2) aut si jam inde a partu, educatione morbisque vegetationis debilitata feminâ, tempore menstruationis haec totius organismi in primisque uteri debilitas, insignis adhuc laxitate et comminuta vasorum irritabilitate profluvium illud menstruale sustentat.

β. extra menstruationis, graviditatis, partus atque puerperii tempora.

Annos menstruationis egressa femina a novis tentatur potentiis nocentibus, quas, quo magis permutationibus ex menstruatione ipsa in corpore ex-

ortis sustentantur, eo minus evitare potest. Quae autem hac periodo vim exercent injuriae, ita sunt comparatae, ut partim vim vitalem totius organismi et praeprimis systematis genitalis comminuant. Pertinent huc Fluor albus, onania, nimius veneris fructus, lues venerea, vita sedentaria. His vim exercentibus morbis receptivitas systematis genitalis ita potest augeri, ut quamvis minimâ causâ occasionali metrorrhagia provocetur. Accedit quod typus menstruationis hoc tempore semper adhuc vim exercet, sanguisque ad evacuandum ex utero alias distinatus facillime in ipso potest retineri, et quominus in ceteram corporis massam dividatur, partim dispositione memorata partim vi injuriarum impeditur.

γ. Graviditatis tempore.

Graviditatis primis mensibus metrorrhagiae potissimum solent accidere, propterea quod hoc tempore placenta uterina parum arcte conjuncta est cum parietibus uterinis; unde efficitur, ut facilius vasa dirumpantur ac sanguis per vaginam emittatur. Accedit quod sub initio graviditatis vasa adeo sunt tenera atque mollia, ut vel minima vi si concutitur uterus, vasa inter uteri superficiem internam et placentam sita uterinam facillime rumpantur. Accedit porro, quod periodus et nisus catamenialis ad ciendas sub graviditate metrorrhagias vim exercet. Fieri enim solet, ut eo potissimum tempore, quo redire debent catamenia, permultae gravidae mulieres metrorrhagia laborent. Enimvero consuevit quasi organismus muliebris excernere sanguinem menstruum,

qui ineunte graviditate solet cessare, redeuntque ita menstruae ad uterum gravidum congestiones; unde fit, ut quae sita sunt vasa tenerrima inter uteri superficiem internam et inter placentam uterinam facillime intrantis sanguinis vi vincantur et dirumpantur.

δ. Tempore partus.

Quae hucusque de dispositione gravidarum disputata sunt, eadem in perturientes possunt transferri. In causarum numero primum habenda est matura aut partialis placentae solutio ab interna uteri superficie: cujus quidem rei ex una parte immodi cae congestiones, plethora, nimius ad parturiendum nixus, externae injuriae, animi perturbationes; altera ex parte summus atoniae et astheniae uteri gradus ansam praebent.

ε. Tempore puerperii.

Si autem menstruationis, graviditatis atque partus tempore uterus ad haemorrhagias quam maxima inclinat, tamen haec dispositio nullo alio quam proximo post exclusum infantem tempore eam dignitatem adsequuta est. Graviditatis tempore uterus magnopere extensus ejusque vasa dilatata erant, ad quae sanguis quam maxime congerebatur. Insignis autem ultimo partus stadio systematis vasorum activitas, placentae solutio, magna primis puerperii diebus sanguinis ad uterum continuata congestio, imperfecta adhuc uteri vasorum contractio, eorumque finium apertura, sunt momenta gravissima, quae uterum ad haemorrhagias disponunt. Accedit quod

naturalia lochia ipsa diaetae aliarumque rerum potentiis nocentibus in metrorrhagiam permutari possunt.

c) Dispositio innata.

α. Constitutio infirma atque debilis, quae aut solum partu innata aut postero tempore potentiis damnosis acquisita est, praesertim ad metrorrhagias inclinat. Pertinet huc tum dispositio scrophulosa, rhachitica, tum educatione molli aliisque sanitatis detrimentis provocata. Quo enim debilior est mulier, quo magis nutrimentis pravis animique adfectibus, ut moerore, sollicitudine vires ejus confractae sunt, eo major ad metrorrhagiam proclivitas.

β. Sed plethorica quoque constitutio adaucta systematis vasorum activitate ad metrorrhagias, praesertim causa inlata occasionali, propensa est.

γ. Inprimis erethica constitutio, nimia irritabilitate tum universi corporis tum partium genitalium insignis. Ex qua dispositione jam parvula causula spasmi et congestiones indeque haemorrhagiae provocantur.

d) Dispositio ex vitae ratione.

Metrorrhagiae feminas in urbibus laute luxuriosequc viventes saepius invadunt, quam quae rure modicum laborisque plenum vitae genus agunt; saepius artibus et ingenio cultas quam omnium literarum expertes. In illis jam quaedam opportunitas generatione insita et educatione aucta accusanda est. Saepius quoque mulieres quae vitae sedentariae adsuetae sive imaginationibus sive lubricis legendis

libris sive ipso nimio veneris fructu systema genitale excitaverunt.

2) Momenta disponentia praeternaturalia.

a) Dispositio hereditaria.

Hic in primis notandum est, quandam metrorrhagiarum dispositionem jam inde a generatione esse insitam. Ut enim non raro inveniuntur homines non singuli tantum sed totae etiam familiae, quarum et mares et feminae haemorrhagiis generatim iisque vel minimâ datâ causâ occasionali perniciosissimis laborant, nomemque haemophilorum (Bluter) gerunt[5]; ita et metrorrhagiarum dispositio in nonnullis familiis crebrius quam in aliis obvenit. *La Motte* quidem observationes collegit memoriaeque prodidit, complures ejusdem familiae feminas uno eodemque mense partum praematurum edidisse. Ita quoque persaepe mulieres menstruatione nimia laborant, aut vehementia sanguinis profluvia in partu et puerperio patiuntur: in cujus rei phaenomena inquirentibus nobis nulla alia nisi quod mater et avia eidem succubuerint fato, comperta et manifesta redditur causa. — Hujus autem dispositionis mulieres plerumque fla-

5) Nasse von einer erblichen Neigung zu tödtlichen Blutungen in Horn's Archiv. 1820. Mai, Juni, Nro. XII.
Hay über ein ganzes mit erblicher Anlage zu Blutungen behaftetes Geschlecht. Huf. Journ. 1815. Bd. II. S. 124.
Elsasser, Geschichte einer Familie von Blutern. Hufeland's Journ. 1824.
Ricken, Neue Untersuchungen über die erbliche Neigung zu Blutungen. Frankf. 1829.

vae, procerae, graciles, saepe quoque constitutione laxa sunt. Frequentissima hujus hereditariae constitutionis causa uteri quaedam debilitas censenda est, quae aut innata, aut effectu potentiarum debilitantium diutiusque agentium acquisita est. Feminae praesertim in urbibus luxuriosum magisque otiosum vitae genus degentes, multisque animi perturbationibus obnoxiae prolem sibi ipsis similem progenerant.

b) **Dispositio acquisita.**

α. Huc pertinet primum ea, quae morbis vegetationis acquiritur dispositio, ut infectione syphilitica, diarrhoea, dysenteria, fluore albo.

β. In aliis vero feminis praecipua haemorrhagiarum causa in nimia vasorum uteri laxitate quaerenda est, quae aut ex totius corporis debilitate oriri potest aut, id quod frequentius fieri solet, in iis mulieribus accidit, quae aliquoties jam haemorrhagiis laboraverunt, et in quibus ob vasorum uteri laxitatem magna ad haemorrhagias proclivitas experientia comprobata est.

γ. Huc pertinent quoque vitia organica uteri, quorum causa saepius in praegressis morbis nititur.

Non autem silentio praetermittenda est metrorrhagiarum dispositio ex impressione dynamica, quam praegressa reliquit metrorrhagia, indeque nata inclinatione ad repetendam eandem. Quem enim latet, mulieres praesertim gravidas eo potissimum tempore

quo antea perpessae sint abortum, metrorrhagia laborare solere?

§. 10.

II. *Causae occasionales.*

Causae metrorrhagiae occasionales nominantur eae, quae interna data dispositione accedunt et sanguinis fluxum provocant.

Eae ipsae vel dynamicae vel mechanicae sunt:

1. Dynamicae.

a) Huc pertinent animi perturbationes, adfectus et motus: ut laetitia subita atque immoderata, terror gravis ac repentino invadens, metus vehemens, ira subito mota; moeror quoque et sollicitudo, curae animum angentes: quibus aut sanguinis circulatio nimium augetur, aut momento temporis retardatur, indeque accumulando in venis sanguini favetur.

Eodem referuntur partium genitalium exaltatio vel imaginibus libidinosis vel nimio veneris fructu.

b) Immodicus spirituosorum et incitantium potuum usus, ut vini, caffeae, theae, aquarum mineralium ferrum et gas carbonicum continentium; ciborum nimis nutrientium et aromatibus variis et acribus conditorum, quae praesertim puerperii tempore perniciosissima sunt.

c) Neque minus nutrimenta non sufficientia, victus depravatus, vilis et non aptus, qui concoquatur, chylificatio imperfecta et corrupta; vita quieta et omni corporis motu carens, praesertim perpetua in conclavibus aere crasso et corrupto repletis commoratio; majora humorum damna, ut venaesectiones

intempestivae, nimiae alvi purgationes, profluvia aliorum humorum diuturna corpusque exhaurientia, ut fluor albus, diarrhoea.

d) Frigoris non minus quam caloris injuriae ex subita temperaturae mutatione oriundae.

e) Inflammationes vicinarum uteri partium, quibus sanguis ad ipsum congeritur.

f) Febres activae, quas criticum profluvium sequitur.

g) Viscerum abdominalium morbi: ut obstructio alvi, bilis praesertim accumulatio, quae aut paralytica vasorum periphericarum adfectione aut spasmo ad sustentandum pertinet sanguinem. Praeterea huc referendae sunt haemorrhoides, rheumatismus, arthritis, quorum in locum haemorrhagiae uteri quasi vicarium profluvium succedunt.

2. Causae mechanicae.

Hae sunt longe frequentissimae. Pertinent huc: Laesiones externae, ut ictus, vulnera, contusiones, qui uterum aut non gravidum aut adeo gravidum adfligunt. — In his accuratius describendis infra pluribus verbis commorabimur.

§. 11.

III. *Causa proxima.*

1. Sanguis nimium activo impetu ad uterum ferri, ejusque copia fortique in vasa potentia haec ipsa vincere et dirumpere potest. Ita exortae metrorrhagiae sunt *activae*, quae aut *sthenicae* esse

possunt, ex plethora sive universali sive locali vasorumque adaucta activitate exorientes, aut *spasticae*, ex aucta nervorum in vasa uterina capillaria vi originem ducentes.

2. Deminuta uteri vasorum activitas, eminens atonia atque paralysis vasorum parietibus relaxatis proxima metrorrhagiae causa esse possunt. — Hujus generis metrorrhagiae nominantur *passivae* sive atonicae.

3. Ex dissolutione sanguinis, itaque ex ejus cachexia proxime metrorrhagiae oriuntur, et *cachecticae* audiunt.

4. Vitia uteri organica proximam metrorrhagiarum causam adferunt, indeque exortae metrorrhagiae *organicae* nominantur. De quibus infra pluribus disseram.

§. 12.

Brevis differentiarum conspectus.

Ex iis, quae hucusque de metrorrhagia disputata sunt, ejus differentiae facillime elucebunt:

I. Differentiae ex vera morbi indole, itaque ex origine momentisque causalibus ortae.

1) ex origine.

a) idiopathicae.

b) symptomaticae.

c) criticae.

d) vicariae.

2) ex momentis internis causalibus.

a) activae.

α) stenicae aut congestivae inflammatoriae.

β) spasticae.

b) passivae sive atonicae.

c) cachecticae.

d) ex causis mechanicis et organicis.

3) ex diversis uteri statibus.

a) menstruatio morbosa.

aa) nimia.

α) nimis copiosa.

β) nimis frequens.

γ) nimis diuturna.

bb) dolorifica.

b) metrorrhagia extra graviditatis, partus atque puerperii tempus.

c) metrorrhagia inter graviditatem.

d) metrorrhagia inter partum.

e) metrorrhagia inter puerperium.

II. Differentiae fortuitae, ex metrorrhagiarum ratione nascentes.

1) ex quantitate.

a) stillicidium.

b) errhysis sive haemorrhagia conformata.

c) haemorrhagia praeceps.

3) ex qualitate.

a) arteriosae.

b) venosae.

c) ubi sanguis purus atque liquidus, aut

d) impurus, lympha mucoque commixtus est.

3) ex loco, quo sanguis accumulatur.

a) externae.

b) internae.

Cap. IV.

Accuratior singularum differentiarum descriptio.

§. 13.

1. Differentiarum ex origine.

a) Idiopathicae nominantur metrorrhagiae, quarum causa in utero ipsô, non in aliis morbis, quaerenda est.

b) Symptomaticae, si aegrotante alio corporis organo uterus ita adficitur, ut ex vasis ejus sanguis profluat, quae res in inflammatione ovariorum, peritonaei accidere solet.

c) Criticae praecipue in metride et aliis viscerum abdominalium inflammationibus, ex lochiis suppressis vel alia ex causa ortis observantur, ubi formâ activi sanguifluxus indutae cum prodromis supra memoratis oriri solent. Ita observatum est, febres vasorum, inflammationes, multa nervorum morborum genera, arthritidem hydropemque metrorrhagiis esse sublata [6].

d) Vicariae, qui in vicem aliorum profluviorum, ut haemorrhoidum, succedunt [7].

---

6) Reil de febribus III. §. 142.

7) Gerard, De metrorrhagia haemorrhoidali. Erlangae 1817. Elias von Siebold, Handbuch der Frauenzimmerkrankheiten. Frankf. 1826. II. §. 75.

§. 14.

2. Descriptio differentiarum ex momentis internis causalibus.

a) *Activae* nominantur haemorrhagiae, si nimis activo impetu sanguis ad uterum fertur, ejusque copia fortique in vasa potentia haec ipsa vincuntur et dirumpuntur.

Subdividuntur autem activae in:

α) *Sthenicas* aut congestivas inflammatorias, ex plethora universali vel locali vasorumque adaucta activitate orientes. Mulieres sanitate vigoreque juventutis florentes his profluviis data causa occasionali obnoxiae esse solent. Causae occasionales in ardoris frigorisque injuria, nimiis corporis animique motibus nituntur.

Interdum quaedam, symptomata hanc metrorrhagiae speciem praenuntiant, interdum subito sanguis proruit sine ullo aegritudinis signo praegresso. Plerumque autem hanc metrorrhagiam aut praenuntiant aut comitantur haecce symptomata: Febris aegrotam frigore et subsequente calore aut his alternantibus invadit; facies rubra, caput obtusum, vertigo, susurrus aurium, imo vero surditas; pulsus sub initio plenus et fortis, sensim et pedetentim celerior; interdum durus et suppressus; cutis tumida, densa, sicca et calida; sitis vehemens, sensus caloris in pelvi minore justo major, arteriarum pulsatio in abdomine infimo aucta [8]); urina ardens, cujus

8) Reil de febribus. III. §. 108.
Le Roux, Sammlung von Abhandlungen. II. p. 591.

emittendi nisus frequens; aegrota ipsa genitalia interna tumida, pressa, et pruritum aut ipsum dolorem in iis percipit. — Tandem his praemissis signis sanguis profluit; symptomata minuuntur aut evanescunt, et sanguis plerumque per intervalla emittitur.

β) *spasticas*, quae ex aucta nervorum in vasa uteri capillaria vi originem ducunt. — Mulieres magna universali irritabilitate atque debilitate, et ad spasmos praesertim systematis genitalis proclives his metrorrhagiis obnoxiae esse solent. Causa occasionalis in quocunque systematis genitalis tum physico tum psychico irritamento, neque minus spasticis alvi obstructionibus, bilis verminmque stimulis est posita. Prodromi fere similes iis, quos in metrorrhagia sthenica observamus, sed admodum mutabiles nec tam constantes adparent. Congestiones, inquietudo, agrypnia, status febrilis et hic in conspectum veniunt; pulsus vero non plenus, fortis, sed parvus contractus, spasticus et inaequalis. Praeter dolores in regione uterina varius faciei est color, cardialgia, nausea. Cutis sicca, frigida, spasmo contracta, urina pellucida, anxietas universalis. Sub his prodromis profluvia ipsa plerumque subito, ictuum ratione, doloribus spasticis, convulsionibus, tremore, inquietudine, capitis dolore, vertigine, proveniunt.

b) passivae, sive atonicae, ex uteri vasorum deminuta activitate, eminente atonia atque paralysi, relaxatis vasorum parietibus, passiva vasorum capillarium ratione orientes. — Mulieres multas graviditates, abortus, partus difficiles perpessae ad ejusmodi metrorrhagias magnopere inclinant. Causa occasio-

nalis praesertim externae injuriae uteri vasa aut debilitantes aut dirumpentes, e. g. contusiones, instrumenta atque pessaria male adplicata haberi possunt. Febris intermittens hanc metrorrhagiae speciem praenuntiare solet: Cutis frigida, corrugata, sicca; facies plerumque pallida, oculi hebetes et aqua suffusi, manus et praesertim pedes frigidi, cephalalgia premens, cardialgia, abdomen tumidum, pulsus intermittens et spasticus, nausea et vomitus; in regione pelvis sensus caloris et intumescentiae, dum ceterae corporis partes, inprimis extremitates, frigent et collabuntur. Postquam haec symptomata praegressa sunt, sanguis plerumque subito et magna vi et copia profluit, symptomata autem non recedunt sed crescunt et augentur: inde spasmi vehementissimi, syncope, delirium, singultus aut agrypnia aliaque depletionis signa enascuntur. — Si sanguifluxus quodammodo cohibetur, permagna tamen debilitas restat, et aegrotae per satis longum temporis spatium tristem astheniae verae imaginem prae se ferunt.

c) *cachecticae*, dissolutione sanguinis itaque ejus cachexia nitentes; quo fit, ut per vasorum lumina sanguis penetret, quod si crassior est, accidere nequit. — Hoc metrorrhagiae genus triplicem adsciscit formam:

α. comes febris putridae observatur.

β. sine febri symptoma scorbuti et morbi maculosii *Werlhofii* constituit.

γ. denique fere omnem metrorrhagiam activam ingentem insequi potest.

d) metrorrhagiae ex causis *mechanicis* et *organicis*.

Ad causas *mechanicas* spectant:

α. injuriae externae, vulnera, contusiones, ictus, quibus uterus gravidus aut non gravidus adfligitur, quibusque vel ovi vel placentae aliqua pars aut ipse uterus laeduntur.

β. Laesiones vasorum uterinorum temerario atque incauto, instrumentorum, forcipis, vectis aliorumque auxilio inlatae.

γ. Funiculi umbilicalis tractus violento modo peractus; placentae matura aut violenta solutio.

δ. Pessaria non apta, imperita manu adplicata vulnusque inferentia.

ε. Huc pertinent quoque partus difficiles et abortus, qui saepenumero causam occcasionalem metrorrhagiarum suppeditant.

ς. Corpora quoque aliena in utero derelicta, quae mechanico modo illum irrritant, ut placentae post exclusum infantem relictae, aut grumae sanguinis, molae, abruptique infantis partes nonnullae.

Ad causas *organicas* referenda sunt vitia atque morbi uteri ipsius:

α. vitia *structurae* uteri: ut induratio, scirrhus, carcinoma, ulcera syphilitica, polypi praesertim carnosi et fungosi, aliaque excrescentiae uteri valde vasculosae, steatoma, leucorrhoea.

β. vitia *situs* uteri: ut antroversio, reversio, prolapsus, praecipue autem intusceptio atque inversio.

§. 15.

3. **Differentiae ex quantitate et qualitate.**

a) ex quantitate distinguuntur:

α. stillicidium sanguinis, si guttatim tardeque fluit et profluvium ipsum exiguum tantum est.

β. errhysis sive haemorrhagia conformata, ubi copia quidem sanguinis sed modica sineque magno impetu eliditur.

γ. haemorrhagia praeceps, si copia sanguinis effusa magno cum impetu magnaque cum vehementia eliditur.

b) ex qualitate:

α. haemorrhagia uteri arteriosa, quae ex vasis arteriosis uteri provenit. Sanguis laete ruber atque spumans, majore radii emicantis vi insignis.

β. venosa, quae ex vasis venosis uteri provenit. Sanguis obscurior, radius crassior, et minore vi emicat.

γ. Sanguis ipse aut purus atque liquidus est; aut

δ. impurus, discolor, lympha, muco ichoreque commistus, qualis in metrorrhagiis ex causis localibus ortis esse solet.

§. 16.

4. **Differentiae ex loco.**

a) Metrorrhagiae *externae* nominantur eae, in quibus sanguis ex vasis uteri effusus extra partes genitales conspicitur.

b) internae, si quidem sanguis in cavo uteri ipso colligitur, neque per vaginam in conspectum venit, sed intumescentia uteri cognosci potest: quae quidem res obstructò sanguinis coagulis aut ovuli placentaeque reliquiis aut ipso capite infantis, orificiò uteri, accidere potest. Hae autem internae haemorrhagiae plerumque non nisi inter graviditatem partum atque puerperium obveniunt. Signa autem, quibus cognoscantur, haec sunt: Femina, quae antea nulla de re questa fuerat, subito nausea, vehementibusque doloribus spasticis corripitur. Franguntur vires; obscuratio oculorum, aurium susurrus atque tinnitus, pulsus frequentissimus, parvus, mox intermittens. Plerumque aegra suffuso in cavum uteri sanguine calorem adscendentemque quasi ex ventriculo ad collum globulum sentit. Abdomen ipsum expansum atque tumidum, orificium uteri immisso digito sanguinem coagulatum ostendit [9].

* Sunt, qui metrorrhagias externas, eas, quae, causa externa, internas, quae interna oriuntur, adpellent [10].

§. 17.

5. **Differentiae ex diversis uteri statibus.**

Ut ea, quae hucusque de metrorrhagia dispu-

9) Conferatur: Baudelocque, Traité de haemorrhagies internes de l'uterus. Bruxelles 1832.

Boivin, Mad., Memoire sur le haemorrhagies intern. de l'uterus. Paris 1819.

Schwabe, Monographie der innern Haemorrhagien des Uterus. Göttingen 1838.

10) Vogel's Handbuch. V. Caput I. §. 1.

tata sunt, clariore obfundantur lumine, in diversos, in quibus exortà haemorrhagià uterus versetur, status inquirere necesse est. Metrorrhagia enim prodire potest:

I. Ut menstruatio morbi symptomata prae se ferens.
II. Extra graviditatis, partus atque puerperii tempus.
III. Inter graviditatem.
IV. Inter partum.
V. Inter puerperium.

§. 18.

I. De menstruatione haemorrhagiae characterem prae se ferente.

Hic duo distinguendi sunt casus:

1. menstruatio nimia, quae ad tria momenta referri potest:

a) ad quantitatem quaque menstruatione profluentis sanguinis; inde vocatur nimis copiosa, profusa menstruatio.

b) ad intervalla, quae inter unam et alteram intercedunt menstruationem; inde menstruatio nimis frequens.

c) ad nimiam fluxus diuturnitatem; inde menstruatio nimio diuturna.

Menstruatio regularis nonnisi diebus 28 praeterlapsis reverti, et 3, 4 – 5 dies tantum perdurare debet. Si autem jam tertia aut adeo secunda quoque hebdomade revertitur, aut per 6—10 dies continuatur, morbosa audit. Ita *Medicus* tradit, fuisse

mulieres, quae decimo quarto quoque, et alias, quae quinto quoque die purgarentur [11]).

Quantitas autem profluentis sanguinis quamquam constitui nequit, et pro diverso temperamento, constitutione, vitae atque coeli ratione diversa est, quum sub coelo calidiore major quam sub frigido, in virginibus debilioribus, in otio et mollitie vitam degentibus largior, quam in frigidis, robustis et quotidiano opere exercitatis soleat esse copia: tamen si profluentis sanguinis ea est quantitas, ut non levamen universi corporis sed morbi symptomata subsequantur: non possumus, quin illlam menstruationem haemorrhagiae nomine significemus.

Morbosa haec menstruatio non sine sanitatis in primisque systematis genitalis detrimento esse potest, namque:

a) primum in uterum habitualem sanguinis congestionem efficit, quae non solum fixum profusae menstruationis provocat typum, sed etiam dissolutionem et hypertrophiam substantiae uterinae, quae quidem ipsae insanabilis fere profusarum uteri haemorrhagiarum dispositionis et postero tempore organicorum multorum uteri morborum ansam praebet.

b) Neque minus sequitur totius corporis aegrotatio, defectus atque cachexia sanguinis, macies corporis, chlorosis, ad hydropem proclivitas, tum reproductivorum nervorum irritatio, quae partim congestionibus, animi deliquiis, partim digestionis

---

11) Medicus Geschichte periodischer Krankheiten. Carlsruhe 1764. I. p. 174.

molestiis atque debilitate est insignis; tandem morbosam totius systematis nervorum irritabilitatem, hysterismum, qui saepius sola profusa menstruatione nititur, provocat.

2. menstruatio dolorifica.

Si mulieres menstruis quidem purgantur, magnis autem effluentium mensium molestiis crucientur, menstruatio difficicilis seu dysmenorrhoea dicitur. Varia autem in variis feminis est morbi forma. Aut enim dolor primis orientibus mensibus vires exhaurit, aut quavis menstruatione rediens et ante sanguinis profluvium et sub ipsa purgatione menses difficiles reddit. Symptomata autem gravissima haec sunt: Queruntur feminae de gravi capitis dolore (qualis in hystericis esse solet), de tensione lumborum, colica sic dicta menstruali. Accedit dolor in regione epigastrica et in vesica urinaria, nausea, cardialgia, vertigo, sonitus aurium, amblyopia [12]).

Causae autem sunt hae: Aut femina insigni nervorum systematis sexualis erethismo laborat, qui sub tempus menstruationis exorta sanguinis congestione augetur, aut vehementior sanguinis ad partes genitales impetus, ut in plethoricis esse solet, causam adfert.

II. Metrorrhagiae extra graviditatis, partus atque puerperii tempus.

Hae tribus plerumque nituntur momentis:

1) passivo substantiae uterinae statu, imbecillitate vasorum sanguinis ejusque dissolutione (in feminis,

---

12) Conf. Moschion περὶ τῶν γυναικείων παθῶν. Cap. 26.

quae multa perpessae sunt puerperia, et aetati decrepitae adpropinquant), ita ut imperfecta vasorum uteri contractilitate venisque extensis profusiora, quam quae corpori sint salubria, profluvia oriantur. Quandoquidem semel data est haemorrhagiarum dispositio, saepius quamvis exigua causa majoreque intensitate redire solent, difficilesque sunt remotu. In quo profluviorum genere spastica quaedam adfectio, aut status bilosus, qui aut spasmo aut paralytica vasorum periphericarum adfectione ad sustentandum pertinet sanguinem, aut tandem vermes sunt accusandi [13]).

2) hypertrophia uteri. Exorta enim est texturae dissolutio, varicosa vasorum extensio. Neque minus haemorrhoides, quae per metastasin ad uterum congeruntur, aut rheumatismus augendo profluvio inserviunt. Quae res in primis cessante menstruatione accidere solet.

3) organicis uteri vitiis, abscessu, induratione, scirrho. In primis polyporum ratio est habenda, qui saepe cum degeneratione et extensione vasorum conjuncti copiosam provocant menstruationem [14]).

Nascentes scirrhos antecedunt saepe vehementes quidem sed dolore carentes haemorrhagiae, qui-

---

13) Vogel l. c. p. 13.
Stoll rat. med. III. p. 48.
Van den Bosch, Historia constit. epid. vermium. p. 152.

14) Walther, De polypis uteri. In annal. acad. Berol. 1786.
Stark's Archiv. I. St. 3. p. 28.
Hufeland's Journ. Tom. IX. St. 1. p. 140.
Mayer, De polypis uteri. Cum tab. aenea. Berol. 1821.

bus perdurantibus nulla sentitur uteri induratio, cessantibus autem celeriter atque subito nascitur scirrhus [15]).

Vitia haec localia pleraque quando certum gradum adtigerunt, a digito inquirente sentiri possunt. Profluentis sanguinis foetor et acrimonia, locales moto corpore dolores, metrorrhagiarum pertinax quamvis adhibitis alias efficacissimis remediis perpetuitas, impar abdominis inferioris extensio, causae praegressae, totiusque corporis valetudo certiorem reddunt diagnosin [16]).

Metrorrhagiae, quae mulieres decrepita aetate tentare solent, dignae sunt, quas paulo accuratiore prosequamur diligentia. Diversa plerumque earum est origo. Aut enim, quae antea regularis fuerat menstruatio, normam relinquit, et antecipante typo sanguis cum dolore prorumpit, aut subito cessat menstruatio, et post aliquot temporis spatium vehementissima oriuntur profluvia. Tribus autem plerumque nituntur momentis:

a) Activo indutae sunt charactere ex plethora universali, diaeta nimium nutriente vitaqua sedentaria orientes. Quibus rebus efficitur, ut ad uterum congestiones, eaeque saepius repetitae, provocentur. Mulieres praesertim, quae antea profusa labo-

---

15) Roederer, De scirrho uteri. Götting. 1754.
Horn's Bemerkungen über den Krebs des Uterus; in dessen Archiv. I. 1. 9.
Krauel, De signis cancri uteri. Jenae 1796.
Richter, Specielle Therapie. III. p. 613.

16) Vogel l. c. §. 14.

raverant menstruatione, hujus generis profluviis infestari solent.

b) Aut aucta systematis genitalis sensibilitate nituntur, et ex constitutione erethica originem ducunt.

c) Organica vitia partium genitalium inprimisque uteri (ex quorum numero situs perversus et relaxatio substantiae uterinae primum obtinet locum) horum profusorum et periodice redeuntium profluviorum causam praebent.

Accedit quoque, quod jam in Aetiologia monuimus, quod typus menstruationis aetate decrepita multum confert, sanguinisque congestionem ad uterum provocat, quae partim injuriis externis partim dispositione supra commemorata in haemorrhagiam facillime degenerat [17].

§. 20.

III. *Metrorrhagiae inter graviditatem.*

Gravidarum metrorrhagia varia oriri potest ratione:

1) Adparet tempore graviditatis perdurans justa menstruatio, et quidem crebrius primis, rarius posteris graviditatis mensibus. Agnoscitur eo, quod typo periodico, nulla data causa externa oritur, neque modum excedit, nullaque aut exigua tantum coe-

---

17) Reil de febrib. III. §. 110.

Fothergill, Von der Behandlung der Frauenzimmer zur Zeit, wo sie ihr Monatliches verlieren. In der Sammlung von Abhandlungen. III. p. 165.

naestheseos perturbatio, nulli abdominis regionisque sacralis dolores exsistunt, graviditas autem justo procedit cursu.

Jam Hippocrates de hac re ita disseruit: „Primo graviditatis tempore foetus adhuc parvus tantam sanguinis copiam, quanta ad uterum congeritur, consumere nequit, fluxuque menstruo itaque sanguis superfluus excernitur, simulque impeditur, quo minus nimia ejus quantitas in uteri vasis accumuletur et plethora topica exsistat.“

Haec profluvia ex vasis colli uterini proveniunt, in primis in mulieribus, quarum substantia uterina valde relaxata est: quamquam negari non potest, saepius accidere, ut vagina ipsa, congestione periodica redeunte, sanguinis uteri profluvia suscipere possit [18]).

2) Saepe primis graviditatis mensibus metrorrhagiae adparent, typo menstruationis carentes. Qua in re haec respicienda sunt momenta:

a) Oriuntur profluvia ovulo a parietibus uteri per partes avulso. Quum enim primis tribus graviditatis mensibus placenta uterina ad unum uteri locum nondum sit reducta, sed totam ejus superficiem internam vestiat: vasa ab utero ad placentam infantilem porrecta eo facilius dirumpi possunt, quo molliora tenerioraque sunt. Accedit quod sub hoc tempus typus menstrualis ad systema genitale permultum valet, unde fit, ut certis temporibus major solito sanguinis copia ad uterum derivetur.

---

18) Hamberger, observationes quaedam clinicae. 1754.

Signa autem, quae imminentem abortum adnuntiant, haec sunt: Horripilationes frequentes, frigus extremitatum inferiorum, lassitudo atque gravitas totius corporis, vertigo, animi deliquia, dolores capitis, pervigilia, pallor faciei. Quibus conjunguntur symptomata morbi gastrici; anorexia, lingua obtecta, nausea, vomituritiones et vomitus ipse. Tandem oriuntur dolores lumborum atque abdominis, non quidem continuo, sed per intervalla nascentes, majoreque cum vehementia redeuntes. Immisso per vaginam digito uterum profundius in pelvim descendisse et orificium dilatatum, velamentaque ovuli foetumve adesse percipitur. Jam vero crescentibus ad partum doloribus primum mucosus serosus humor, dein sanguis ipse paulatim majore quantitate excernitur. Sanguinis autem irritamento postquam provocata est uteri contractio, ovulum omnino ab utero divellitur, et aut diruptis velamentis foetus solus vel vivus vel mortuus, aut illaesum atque integrum in lucem effertur ovulum. Quo facto profluvia sisti solent [19]).

b) Posteris graviditatis mensibus rarius et non nisi vehementibus causis mechanicis placentam divel-

---

19) Bölling, De causis quibusdam abortus. Halae 1799.
d'Outrepont, Abhandlungen geburtshülflichen Inhalts. Würzburg 1822. I. p. 252.
Starke, Diss. de metrorrhagia abortiva Marb. 1824.
Rust's u. Casper's Critisches Repertorium. Berl. T. XVI. 2. pag. 201.
Hufeland's und Osan's Journal. Berlin 1832. März.
Busch, Neue Zeitschrift für Geburtskunde. T. I. 2. p. 132.

lentibus metrorrhagiae exsistunt, quae autem septimo abinde mense crebrius adparent vitam in discrimen vocantes, si quidem placenta collo uterino indeque omnino aut ex parte insidet orificio (placenta praevia). Jam extenso ultimis graviditatis mensibus utero simulque collo et ipso orificio, pressisque capite infantis his partibus, non potest fieri, quin placenta trahatur, primoque minora et per intervalla mox vehementissima nascantur profluvia, quibus et mater et infans mortem occumbere possint [20]).

§. 21.

IV. *Metrorrhagiae inter partum.*

Inter partum justo infantis situ tunc solum metrorrhagia potest accidere, si placenta maturius ab uteri parietibus divellitur, aut ruptura uteri et funiculi umbilicalis evenit. Generatim haemorrhagiae usque ad quintum partus stadium sunt rariores, et plerumque non nisi partu vi provocato et imperita rudique adjutoris agendi ratione accidere solent. Quinto autem stadio creberrimae eaedemque periculosissimae, et tum ex placenta per partes tantum soluta, tum ex atonia oriuntur uteri.

---

20) Stark, Neues Archiv für Geburtshülfe. Jena I. 1. p. 1.
Platner, De placenta praevia. Lips. 1804.
Rüsch, von den Mutterblutflüssen. Würzb. 1817.
Wigand, Die Geburt des Menschen. Berlin 1820.
Pabst, Diss. de placenta praevia. Jenae 1820.
Gemeinsame deutsche Zeitschrift fur Geburtskunde. I. 1. p. 77.

In harum igitur haemorrhagiarum causas accuratius nobis inquirendum est:

1. Metrorrhagiae, quarum causam placenta per partes tantum soluta ante exclusum infantem adfert.

Quodsi primo aut secundo partus stadio nullâ dirupti uteri aut funiculi umbilicalis causâ interpositâ sanguinis adparent profluvia, ex placentae partiali solutione provenire conjectura adsequi licet. Injuria externa, nimius parturientium labor, funiculus umbilicalis aut brevior aut circumvolutus, involucrorum ovuli rigiditas accusanda sunt[21]. Haec res placenta collo uterino propius insidente accidere solet.

2. Metrorrhagiae, quarum causam placenta per partes soluta in quinto partus stadio adfert.

Si placentae partes nonnullae arctius uterinis parietibus inhaerent, aut si contractiones uteri debiliores sunt quam quibus adnata disjungatur placenta, plerumque metrorrhagia plus minus vehemens insequi solet[22].

Placentae ex parte solutae incarceratio non raro accidit, ita ut contracta uteri parte mediâ superior sacci formam induat, quo placenta aut omnino aut ex parte contineatur. Si contractio circularis in corpore uteri adest, et tota placenta in fundo uteri locum tenet, incarceratio placentae completa voca-

21) Siebold's Lucina. I, Nro. 6.

22) Wilde, De cognoscendis et curandis placentae morbis. Berolini 1833.

Troll, De placentae morbis. Berol. 1835.

tur, si vero altera placentae pars ante hanc stricturam libere prominet, altera post illam includitur, incarceratio placentae incompleta nominatur. Haec incarceratio ex singulari constitutione feminae ad spasmos inclinatae, ex causis praegressis, quae spasmos procreare valeant, ex inaequali uteri digitis externe explorantibus sese offerente ratione, ex dolore, qui funiculi umbilicalis directione et tractu excitatur, denique exploratione interna, si duce funiculo umbilicali digitus stricturam sequitur, ibique hanc uti orificium secundum invenit, dignoscitur. Si spasmi majorem adepti sunt gradum, totum nervorum systema adficitur: vomitus, syncope, tremor artuum et convulsiones oriuntur. Quaevis placentae incarceratio eo magis anceps et periculosa censenda est, quo metrorrhagia eam comitatur [23].

3. Metrorrhagia ex ruptura uteri aut funiculi umbilicalis.

Si ruptura uteri in collo et orificio evenit, neque perfecta est, ita ut parietes quamquam rupti tamen non perrupti sint, externa metrorrhagia; si ruptura autem perfecta et in corpore uteri est, ita ut peritonaeum quoque rupturae sit particeps, interna sequitur metrorrhagia, sanguine in cavum abdominis

---

23) Sommer, Beobachtungen über die in einem Sacke eingeschlossene Nachgeburt. Braunschweig 1768.

Wiegand, Von den Ursachen der Nachgeburtzögerungen. Hamburg 1804.

Ulsamer, Das Nachgeburtsgeschäft und seine Behandlung. Würzburg 1828.

effuso. Hae autem rupturae aut ex doloribus ad partum vehementioribus, perverso uteri inclusique infantis situ, rudibus operationibus, instrumentis male adplicatis pendere possunt[24].

Funiculus umbilicalis si inter partum nimium brevis aut circumvolutus aut versione facta trahitur, aut descendente infante ipso dirumpitur, haemorrhagia in primis infanti periculosa oritur[25].

4. Metrorrhagiae ex nimis matura placentae solutione.

Si placenta soluta editum partu infantem proxime sequitur, ita ut utero contrahendi spatium non relinquatur, sanguis ex apertis vasis cum summo parturientis periculo effunditur. — Concussiones corporis mechanicae, nimius ad parturiendum nixus, immoderata corporis jactatio, atonia debilitasque uteri, funiculus umbilicalis aut per se aut per circumvolutionem brevior, ejusque incautus tractus hanc maturam placentae solutionem unâque exorientem metrorrhagiam gignere possunt.

---

24) Mursinna, Von den Krankheiten der Schwangern. p. 238.
Le Roux, In den Abhandlungen für praktische Aerzte. IV. p. 561—579.
Rust, Magazin für die gesammte Heilkunde. T. XXIII. 3.
Siebold's Journal für die Geburtshülfe. XV. 1. p. 73.

25) Albert, Diss. de iis, quae in partu offert funiculus umbilicalis, impedimentis. Göttingae 1804.
Benkiser, Diss. de haemorrhagia inter partum orta ex rupto venae umbilicalis ramo. Heidelb. 1831.
Kohlschütter, Diss. de funiculo umbilicali frequenti morbi nascentium causa. Lips. 1833.

5. Porro metrorrhagia ex inversione uteri simulque solutâ placentâ dependet. Intelligitur autem inversio, si fundus per orificium uterinum descendit, et cum interna ipsius superficie intra (inversio incompleta) aut extra (inversio completa) vaginam invenitur. — Causae sunt praeter uteri laxitatem, partus pelvi amplâ praesertim statu parturientis erecto acceleratus, infantis involucris ovuli integris exclusio, funiculus umbilicalis brevior incauteque tractus, denique parturientis nimius aut ante aut post exclusum infantem nisus[26].

6. Metrorrhagia ex imperfecta post exclusam placentam contractione.

Excluso quamvis infante placentaque uterus non contrahitur, indeque ex apertis effusus sanguis venis inhiberi nequit. Cujus generis profluvia eo dignoscuntur, quod abdomen relaxatum, uterus non contractus ejusque orificium apertum invenitur. Haec res solet accidere in mulieribus debilitatis, multa perpessis puerperia, post partus acceleratos placentamque celerius remotam, ex nimia uterii sive propter magnam liquoris amnii copiam sive plurium foetuum praesentiam distentione, partuque ipso longius solito continuato. Quoniam vero, quo major profluentis sanguinis est copia, eo magis uteri augetur atonia, quam paralysis mox sequi necesse est,

---

26) Weissenborn, Von der Umkehrung des Uterus. Erfurt 1788.
Le Roux, l. c. p. 561.
Stark's Archiv. II. 3. p. 19.
Köppen, De inversione uteri. Rostoch. 1806.
Encyclopäd. Wörterbuch der med. Wiss. XIII. p. 556.

haec profluvia in periculosissimis esse numeranda aperta et confessa res est.

7. Postremo sanguifluxum ex vagina vel varicum et aneurysmatum, vel vaginae ipsius, aut adeo perinaei ruptura nullo modo tacitus praeterire possum.

Aneurysmata vaginae et labiorum rarissime observantur; saepius autem varices, qui cum extensionis gradum adsequi possunt, ut totam expleant vaginam. Quo magis haec vasa sunt dilatata, eo molestiorem graviditatem et partum reddunt, summumque est periculum ne in partu rumpantur: quo fieri potest, ut haemorrhagia vehementissima eaque vix cohibenda exoriatur, vel sanguinis infiltratio in telam cellulosam vicinam sequatur. Certior redditur diagnosis, si, uteri fundo normali pone et supra ossa pubis contracto, digiti explorantes sanguinem non ex orificio uteri, sed, exploratione accuratius instituta, ex apertis vaginae vasis emitti sentiunt[2]). Vaginae ipsius ruptura sub partu plerumque accidit, et vel in toto ambitu disrupta est, vel laesiones vaginae longitudinales et transversae particulares tantum observantur. Phaenomena rupturae sunt strepitus crepans, qui a parturiente ipsa audiri potest; multa deinde symptomata nervosa, praecipue vero sanguifluxus. Degenerationes scirrhosae, varices,

2) Haase, De gravidarum varicibus. Lips. 1781.
Crusius, De quibusdam gravidarum varicibus. Lips. 1787.
Lützelberger, De quibusdam gravidarum varicibus. Jenae 1791.
Brasse, De varicibus praesertim gravidarum. Berol. 1819.

prolapsus, pelvis nimis alta, temeraria instrumentorum adplicatio rupturae ansam praebent[28]).

Neque minus perinaei, si quidem nimis longum, rigidum, vel adeo tenue neque satis resistens est, si pelvis justo major inclinatio, aut caput infantis nimis magnum, partus praecox et stando absolutus ansam praebent, haemorrhagiae exsistere possunt. Ruptura plerumque in frenulo tantum labiorum observatur, rarius ad ani orificium aut adeo intestinum rectum extenditur[29]).

§. 22.

V. *Metrorrhagiae inter puerperium.*

Partim huc ex atonia uteri haemorrhagia referenda est; praesertim autem metrorrhagiae inter puerperium oriuntur:

1. ex derelictis ovuli aut placentae reliquiis; cujus rei causa aut in debilitate uteri nititur, ita ut contractionibus validis aliena removendo sit impar, aut in ejus spastica et inaequali contractione, ex qua

---

28) Wittig, Observatio vaginae in parturiendo diruptae. Berolinae 1822.
Siebenhaar, De tumore vaginae sanguineo ex partu oborto. Lipsiae 1824.
Siebold's Journal für Geburtshülfe. XIII. 1. p. 46.
Encyclopädisches Wörterbuch der med. Wissensch. X. 24.

29) Aegidi, De ruptura perinaei. Berol. 1819.
Oettingen, De perinaei rupturis ejusque cura. Dorp. 1835.
Dieffenbach, J. F., Chirurgische Erfahrungen über die Wiederherstellung zerstörter Theile des menschlichen Körpers. Berlin 1829.

in diversos illa corpora includentes quasi saccos dividitur. Mulieres debilitatae, quae inter partum multum sanguinis deperdiderunt, his haemorrhagiis obnoxiae sunt. Ceterum si non accuratius est inquisitum, utrum placenta tota an ex parte tantum sit exclusa, diagnosis difficilior redditur.

2. Accidit, ut post partum editum metrorrhagia exsistat occulta collecto in cavo uteri sanguine. Si enim aut inaequaliter contrahitur uterus aut spasmo ejus orificium adficitur, impeditur quo minus effluat sanguis. Nec non placentae aut ovuli reliquiae imo infantis caput ipsum obstruere possunt orificium. — Haec profluvia, quorum jam §. 16, 6, mentionem fecimus, in primis post acceleratos aut vi provocatos partus oriuntur, si quidem stadium partus nondum aderat, et doloribus ad partum haud sufficientibus fieri non poterat, quin completa sequeretur uteri contractio. — Saepe quoque inter puerperium sive diaeta perperam observata sive animi motibus lochia naturalia ipsa in haemorrhagias activas commutantur.

Cap. V.

§. 23.

Prognosis.

Metrorrhagiae gravissimi generatim sunt momenti, quum multiplicem in corpus habeant vim reciprocam:

1. in uterum ipsum. Quaevis diutius continuata metrorrhagia habitualem in uterum sanguinis conge-

stionem, neque minus substantiae relaxationem et hypertrophiam provocat concipiendique diminuit facultatem.

2. Defectus atque cachexia sequitur sanguinis, inde facies pallida, macies et altius progresso morbo hydrops.

3. Vim reciprocam debilitantem in systema gangliorum exercent, ex qua digestio perturbatur abdominisque proveniunt morbi. In primis universus nervorum respiciendus est erethismus, qui cum haemorrhagia uteri conjunctus hysteriae et spasmorum omnis generis causam adfert.

Tum autem metrorrhagiae ex charactere sunt dijudicandae:

1. Optima prognosi gaudent activae inflammatoriae, quae ex valida feminae constitutione, ex vera plethora, nullis aliis morborum symptomatis adparentibus nascuntur. Saepe sunt criticae ipsiusque naturae vi sanantur.

2. Spasticae jam majoris sunt momenti, quia vehementius proveniunt, remediis antispasticis saepissime resistunt pertinaciter et facillime redeunt.

3. Passivae summum portendunt periculum, partim propter magnam adfectarum mulierum debilitatem, partim propter profusius magisque quam aliarum metrorrhagiarum continuatum sanguinis damnum: ita ut aut celeriter mors aut morbi difficiliores sanatu, e. g. hydrops, phthisis subsequantur.

4. Cachecticae ejusdem, cujus procreantes morbi, ut scorbutus, morbus maculosus, sunt momenti.

5. Pessima est prognosis earum, quae ex morbis localibus, ut polypis, carcinomate, scirrho, spem omnem medici frustrantibus, originem ducunt. Inde quae aetate decrepita infestant mulieres profluvia, his morbis plerumque nitentia, magnum minantur periculum.

6. Consensuales ex irritamentis gastricis, faecibus, vermibus facillime sanantnr.

7. Internarum pejor quam externarum est prognosis, partim quod difficiliores sunt cognitu, partim remedia externa sic dicta styptica aut non nisi maximo cum labore aut neutiquam adhiberi possunt.

Praeterea metrorrhagiae ex gradu aestimandae sunt. Profusa haemorrhagia repentinae interdum mortis est causa. Sed minus vehementes diutius autem continuatae aut per intervalla redeuntes, orta inde cachexia fluoris albi, hydropis et hysteriae fundamentum jaciunt.

Porro status uteri diversi, quibus oriuntur metrorrhagiae, sunt respiciendi.

1. Menstruatio profusa, quamquam non subitaneum minatur periculum, tamen morbos gignit secundarios, qui valetudinem omnino labefactent.

2. Metrorrhagiae primo graviditatis tempore eo sunt periculosiores, quo magis exclusio ovuli retardatur, vehemensque adparet sanguinis jactura.

Quilibet abortus dispositionem ad alios subsequentes procreat difficilius tantum aut neutiquam tollendam.

3. Metrorrhagiae ultimo graviditatis tempore aut inter ipsum partum ex sede placentae juxta collum

aut orificium uteri pendentes eo magis insidiantur vitae, quo propius aut adeo circa orificium placenta inhaeret.

4. Quae post partum oriuntur profluvia, si atonia uteri aut retenta spasmo placenta (placenta incarcerata) aut eâdem arctius adnatâ nituntur, maximum vitae discrimen, imo mortem ipsam moliuntur.

Tandem in dijudicanda prognosi in primis constitutionis aegrotarum, causarum occasionalium plus minus graviorum, conditionum, in quibus versentur mulieres, rationem esse habendam, manifesta atque confessa res est.

Cap. VI.

C U R A.

§. 24.

A. *Cura prophylactica.*

1. Extra graviditatis tempus.

Profusa laborantes menstruatione feminae, eo quo ipsa oriri solet tempore, quaecunque systematis genitalis irritamenta evitare debent, ut labores animi corporisque, cibos potusque fervefacientes. Fruantur igitur quiete inturbata, situque horizontali. Ubi primum autem exorta est menstruatio, remediis uti necesse est, quae ipsam coerceant. In feminis plethora aut etiam laxitate uteri laborantibus iisdemque ad metrorrhagias proclivibus venaesectiones non ita magnae, sed repetendae per intervalla temporis, instituendae sunt.

2. Inter graviditatem.

Mulieres quae semel aut saepius abortum sunt perpessae, haec, quae modo data sunt praecepta, accuratissime observare, in primis sub solitum menstruationis tempus summa in quiete agere necesse est. Plethora sanguinis congestionibusque praevalentibus diaeta irritans, animi corporisque motus, nec non frigoris humorumque injuria evitanda, quamquam modica sub dio ambulatio commendanda est. In atonia atque debilitate aut uteri aut totius organismi remedia amara imo martialia sanitati conducunt. Contra auctam sensibilitatem primum antispasticis tum tonicis atque roborantibus agendum est remediis.

3. Inter et post partum.

Inter partum omne cautionis adhibendum est genus, si dispositio metrorrhagiae praesertim ex praegressis puerperiis est data. Sit igitur summa parturientis quies et tranquillitas; doloribus ad partum non sufficientibus, qui quidem tum universali tum locali nituntur atonia, roborantia caute in usum vocanda sunt. Praevalente plethora venaesectio fructui esse potest, sensibilitate adaucta antispastica.

Si partum editum placenta non statim sequitur, cave ne citius solvas eam, aut funiculum umbilicalem trahas. Si excluso infante uterus tardius solito contrahitur, leniores fiant abdominis frictiones.

Inter puerperium summa tranquillitate, removendis quibuscunque sensuum stimulis cibisque evitandis calefacientibus sanguinis profluvia declinantur.

B. *Cura therapeutica.*

a) diaeta.

§. 25.

In quavis metrorrhagia haec generatim observanda sunt praecepta:

1. Situs horizontalis.

Aegrota in primis situm horizontalem occupet necesse est, erecta regione sacrali, cruribusque altero super alterum impositis. Ne crura autem elevata sint, monet *Astruc*: „Quoniam quamvis diminuatur sanguinis profluvium, tamen accumulatio in cavo uteri, indeque haemorrhagia interna possit oriri“ [30]).

2. Quies corporis animique.

Quo situ corporis animique quies omnino est observanda. Medicus autem quum removendis hominibus rebusque sollicitantibus, tum verborum comitate animum exorto sanguinis profluvio commotum confirmare studeto.

3. Frigidum magis quam calidum regimen.

Temperata aëris, in quo mulieres versentur, sit ratio. Removeatur quodcunque potest liberam sanguinis circulationem impedire; in primis vestes nimis coarctatae solvendae; lectus autem ingravescens atque calefaciens evitandus, in ejus locum succedat cilicium. Cibi potusque frigida sit temperatura.

4. Secretiones et excretiones, ut rite procedant, curetur.

30) Astruc sur les maladies des femmes. T. II. p. 115.

Obstructio alvi caute adhibito clysmate aut oleo Ricini, Infuso Sennae removenda.

b) Causarum investigatio.

§. 26.

Instituta ita cura diaetetica in primis omnium ut in causas metrorrhagiae inquirat medicus, necesse est, tam accurata causarum occasionalium examine, quam locali uteri ipsius inquisitione. De amissi sanguinis quantitate, qua ratione et quo defluat loco, de ipsa uteri conditione medicus se certiorem facere studeto. Quae localis uteri inquisitio eo magis est necessaria, quum partim in degeneratione perversoque situ proxima profluvii causa, partim abortus ipse ut fons malorum inveniri possit.

c) Cura characteris metrorrhagiarum.

Propria autem metrorrhagiarum cura diverso characteri est accommodanda.

§. 27.

I. *Cura activarum metrorrhagiarum.*

1. Sthenicarum, quae cum congestione et plethora conjunctae sunt.

Hic instituatur in primis venae sectio. Quo frequentior, durior est pulsus, quo robustior est aegrota, quo magis fixum ardentemque in regione uteri dolorem sentit, quo manifestius causa inflammationem procreans occasionalis vim exercuit, eo citius largiusque sanguis est emittendus.

Ex remediis internis eligatur emulsio nitrosa, potus refrigerans, acida vegetabilia, et crescentibus profluviis acidum sulphuricum. Ne autem in hoc metrorrhagiarum genere frigida in abdomine ponantur fomenta, monet *Richter* [31]), quae metritidis causam praebere possint.

2. activarum spasticarum.

Quodsi quod plerumque solet esse, haemorrhagiae activo spastico indutae sunt charactere, ex remediis internis dentur acida, acidum sulphur. dilutum, Elixir. acidum Halleri, acidum phosphoricum cum antispasticis, Opio, Castoreo, Valeriana.

In his metrorrhagiis spasticis praesertim causae sunt respiciendae. Si morbus biliosus, quod saepius fit, causam intulit, morbumque sustentat, noli cunctari, postquam iis, quorum infra mentionem faciam, remediis vehementiam sanguifluxus cohibueris, eà, qua par est, cautelâ, emeticum porrigere, quod in gravidis ipsis non modo abortum non provocat, sed sanguinem ipsum inter vomendum inhibere solet [32]). — Interdum emetica et hunc habent effectum, ut concrementa praeternaturalia ex utero depellant, quibus sustentantur profluvia [33]). Materiis nocentibus in intestino crasso aperientia clysmata per intervalla repetita, interna blande purgantia ex oleo Ricini, Infuso Sennae, contra vermes potiones et clysmata ex lacte conducunt.

31) Richter, Specielle Therapie. III. p. 671.

32) Vogel, Vom Blutflusse der Gebärmutter. cap. VII. §. 44.

33) Hufeland's Journal. VI. 3. p. 198.

§. 28.

II. *Cura passivarum metrorrhagiarum.*

Passivae metrorrhagiae quum saepissime tum vehementia tum continuatione matris infantisque vitam in summum adducant discrimen, omnes medici curas cogitationesque sibi vindicant. Magnus est numerus medicamentorum, quae contra illas commendata sunt. Omnia autem partim sustentando vires partim proxime adstringendo efficiunt, ut vasa uterina contrahantur. Eadem sunt, quae proprie styptica vocantur, ex quibus pro minante periculo, pro re nata unum aut alterum eligendum est.

A. *Remedia interna.*

1. Cinnamomum.

Remediorum internorum principatu et commendatione doctissimorum omnium gaudet Cinnamomum, in primis tinctura Cinnamomi, quae tum praesertim valet, si maxima est aegrotarum debilitas, extremitates frigidae, facies pallida, absit autem systematis vasorum irritatio, congestioque ad uterum. Porrigitur tinctura Cinnamomi, pro dosi gtt. 30—60 cum aqua aut vino, et e re nata cum opio et acidis [34]). At *Bischoff* corticem Cinnamomi potissimum designat systematis et nervorum et vasorum abdomi-

---

34) Osiander's Denkwürdigkeiten. p. 308.
Ackermann, Bemerkungen über die Kur einiger Krankheiten. I. 50. II. 116.
Vogel, l. c. p. 186.

nis irritamentum, atque speciatim in organa sexualia et praecipue in uterum agere dicit[35]).

Ubi summum vitae periculum minatur, oleum Cinnamomi optimo eventu *Thilenius* commendat, et quidem 10—50 guttas per quadrantem horae vel conjunctionem Aetheris ʒj cum oleo Cinnamomi gutt. X.[36]).

2. Acida.

Effectum valde conspicuum acida quoque manifestant mineralia; acidum sulphuricum dilutum, acidum Halleri; praecipue autem acidum phosphoricum, quod *Lützelberger*[37]) magnis celebrat laudibus, in metrorrhagiis passivis celeriter adfert auxilium, quum directo vim vitalem organismi augeat, digestionem autem minus quam cetera acida offendat.

3. Alumen.

Jam antiquissimis a temporibus Alumen in haemorrhagiis laudatum est, si atonia uteri valde perspicua sed sine spasmo, si neque obstructio neque alii abdominis morbi usum ejus prohibent. Porriguntur pro dosi gr. V—X cum saccharo. Conjunctionem cum tinctura Cinnamomi commendat *Plenk*; *Osiander* autem hanc mixturam:

---

35) Bischoff, Die Lehre von den medizinischen Heilmitteln. I. p. 450.

36) Thilenius mediz. chirurg. Bemerkungen. Vol. II. p. 193.

37) Hufeland's Journal. XXVI. 11. p. 15.

℞. Extract. cort. Salicis ʒjβ.
Aluminis romani ʒβ — ʒj.
Aq. Cinnamomi simpl. ℥v.
Sympi Rubi Idaci ℥β.
MD. S. Dimidia quaque horae parte, quantum capit cochlear.

Si haemorrhagia non ita magni est momenti, *Osiander* sera lactis aluminosa commendat.

4. Sabina.

Si atonia uteri altiorem gradum adtigit, Sabina laudatur. Porrigitur autem quater per diem ℈j — ℈jβ [38]. Clysmata quoque ex Sabina commendantur [39]. — Absit autem, si ea uteris, quaecunque systematis vasorum irritatio.

5. Phosphorus.

In summo vitae discrimine commendat *Mende* phosphorum, et quidem gr. $\frac{1}{8}$ — $\frac{1}{4}$ in aethere aut Oleo Amygdalarum solutum aut Gummi arabico tritum [40].

6. Secale cornutum.

Recentiori actate Secale cornutum magna contra passivas uteri haemorrhagias fama floret. *Olivier Prescot*, medicus in America septentrionali primus ad validiores uteri contractiones commendavit [41].

---

38) Wedekind in Hufeland's Journal. X. 1. p. 75.
39) Stanger, Ueber die Gebärmutterblutflüsse. München 1837.
40) Mende, Weiberkrankheiten. 1. p. 190.
41) Hufeland's Journal. 1815. Decemb. p. 342.

Ejus utilitas hodierno tempore a plurimis medicis et innumerabilibus exemplis comprobata est[42]).

Hujus autem remedii experimenta, quae in nosocomio Gryphico Praeceptor meus Prof. Dr. *Berndt* in mulieribus metrorrhagia correptis instituit, felicissimo successu ornata fuisse, cognoscendi multa mihi oblata est occasio.

7. Alia remedia.

Jam multa alia in adstringentium numero posita remedia huc pertinent. Dico ferrum sulphuricum, plumbum aceticum, Gummi Kino, Chinam, Corticem Salicis, Colombo, Simarubam, radicem Tormentillae. Huc pertinet quoque arcanum Helvetii, Liquor Lofii stypticus, remedium *Bishopriki*[43]).

Contra haemorrhagias ex relaxatione aut pseudoproductis membranae mucosae uteri, molisque ortas, nuperrime Creosotum tum interne tum externe, 6—8 gtt. in infuso Ratanhiae aut mucilagine seminum Cydon. propter fortem in uterum potentiam indeque ortam contractionem recommendavit *Stanger*[44]). Contra easdem metrorrhagias jam aliquot ante annos tinctura Castorei in usum vocata fuerat[45]).

---

42) Allgemeine mediz. Annalen. 1817. p. 90.
Busch, Systematisches Repetitorium der ges. mediz. Litt. 1829. I. p. 109.

43) Conf. Richter, l. c. p. 683—685.

44) Stanger lib. cit. p. 11. 21—22.

45) Meissner, Ueber die Wirkung der Tinct. Castorei gegen Afterproducte in der Gebärmutter. Lips. 1821.

§. 29.

B. *Remedia externa.*

1. In frequentissimis praesertim contra haemorrhagias partum extemplo sequentes externis remediis numerantur lenes abdominis frictiones, ut contractio vasorum uteri efficiatur. Adjungi instillationes inunctionesque Naphthae vitrioli, linimenti volatilis, spiritus salis ammoniaci *Jörg* vult[46]).

2. Fomenta florum aromaticorum spiritu vini madefactorum, ut Chamomillae, Arnicae, Menthae, Melissae.

3. Fomenta aquae frigidae, aut fomentationes Schmuckerianae, quae tamen, ut primum desiit haemorrhagia, intermittendae, et absterso abdomine, inunctionibus spirituosis aut aromaticis permutandae sunt.

4. Frigida manuum pedumque lavacra a *Chaussier* et *Leake*[47]) laudata.

5. Aqua frigida ex altitudine quadam in abdomen mulieris praecipitata, mirum quantum in haemorrhagia omnibus aliis remediis resistente, et ubi celeri opus est auxilio, adjuvat.

§. 30.

C. *Remedia localia.*

1. Injectiones in vaginam et uterum, quae in omnibus fere post partum haemorrhagiis adhibentur,

---

46) Jörg, Krankheiten des Weibes. II. §. 352.

47) Stark's Archiv. II. 3. p. 23.

et aqua frigida pura aut cum aceto aliisque adstringentibus commixta constant. Sed notandum est, frigidas injectiones non nisi in haemorrhagiis ex sola atonia ortis locum habere, in spasticis autem tepidas esse adhibendas.

2. Tampon ex linteo et spongia aceto et aliis adstringentibus madefactum commendat *Le Roux* [48]. *Richter* suadet, ut saltem per singulas semihoras, ne sanguis in cavo uterino collectus periculum internae metrorrhagiae praebeat, extrahatur et recentibus madefactum adstringentibus iterum immittatur [49].

3. Immissio manus in cavitatem uteri. Duplex hujus remedii est effectus; nam non solum interna uteri superficies ad contractionem irritatur, sed vasa quoque sanguinem emittentia comprimuntur [50].

4. Pressio externa in regione uteri; vel utraque manu regioni hypogastricae imposita uterus modo ab uno latere ad alterum, modo a fundo ad collum comprimitur [51]; vel fasciâ supra stratum calefacti lintei circum abdomen adplicatâ [52].

Miles hunc ad finem cingulum quod tornaculum

---

48) Le Roux, In den Abhandlungen für praktische Aerzte. IV. p. 669.

49) Richter libr. citat. p. 690.

50) Boivin, Mad., Nouveau traité sur les hemorrhagies de l'uterus. Paris 1818. p. 309.

51) Osiander l. c. p. 406.

52) Levret, Suite de observations sur les accouchements laborieux. art. X. Nr. 8. p. 226.

vocat uterinum, cortice Chinae aliisque adstringentibus repletum commendat [53]).

Kluge primus erat, qui saccum arena completum commendavit: Aegra pedibus coarctatis, situ horizontali resupina jaceat; tegumentis abdominis superius, ne ulla supra uterum relinquatur plica, tractis, saccus libris 6—10 arenae impletus in fundo uteri accurate deponatur, et fascia tum saccum tum lectum circumdante ligetur. Optime huic frigus humefacta arena additur [54]).

5. Adplicatio cucurbitarum siccarum in utraque mamma, quarum jam Hippocrates mentionem facit, aut vesicantium inter et infra mammas a *Pouteau* laudatorum [55]); cauterisatio plantarum pedum ferro candente [56]). — Ligaturae extremitatum a *Reilio* [57]) et *Frankio* [58]) laudatae, a *Le Roux*, *Leake*, *Jörgio* rejectae [59]).

6. Galvanismus. *Reilius* positivum catenae galvanicae polum, expansionem admodum minuentem, in atonica uteri haemorrhagia adhiberi suadet [60]). Eum in finem Zinci perticam ad circuli formam incurvatam uteri fundo, tunc argenti perticam ejusdem formae umbilico adpropinquare, et deinde

---

53) Froriep's Notizen. Nr. 621. p. 86.

54) Siebold's Journal. VII. p. 145 et 535.

55) Sammlung auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte. XII. 346.

56) Beaudelocque, sur les hemorrhagies internes. p. 78.

57) Reil de febribus. III. p. 330.

58) P. Frank, De curandis hominum morbis. V. p. 348.

59) Jörg, Handbuch der Krankheiten des Weibes. II. §. 356.

60) Archiv für Physiologie. VII. 3. p. 402. Halle 1807.

utrumque finem liberum se invicem tangere jubet. — Galvanismi quamquam est excellentissimus effectus, tamen in atonia uteri nimis urgens est periculum, quam ut sperari possit, fore ut adparationibus ad hoc remedium necessariis iisdemque diuturnis imminenti malo possit occurri.

7. Compressio Aortae abdominalis.

a) interna compressio.

Plouquet Tubingensis anno 1797 consilium dedit, ut in haemorrhagiis ex mera atonia profusis manu quam altissime in uterum immissâ Aorta abdominalis, quo loco in vertebris lumbalibus sentitur, comprimatur [61]).

Fausto successu recentioris aetatis medici, *Outrepont*, *Latour*, *Trécheau* eum imitati sunt.

b) externa compressio.

Anno 1820 *Ad. Ulsamer* Virceburgensis externam compressionem proposuit: Femina cruribus adtractis resupina jaceat, et medicus digito indice et medio super uteri fundum versus columnam vertebralem premat, donec sentiat aortam, quae tum facile comprimi potest [62]).

8. Transfusio sanguinis in venam.

Si quae hucusque commemorata sunt tum interna tum externa remedia inhibendae haemorrhagiae

---

61) Loder, Journal für Chirurgie, gerichtliche Medicin und Geburtshülfe. I. 3.

62) Encyclopädisches Wörterbuch der mediz. Wissensch. XII. 4. p. 536.

imparia sunt, animi autem deliquium, maxima virium debilitas, mortisque imminentis minatur periculum: transfusio aut humani aut animalis sanguinis in venam aegrotae brachialem commendata et in ea una interdum quaerenda est salus [63]).

§. 31.

III. *Cura cachecticarum metrorrhagiarum.*

In metrorrhagiis ex corruptione et colliquatione sanguinis oriundis tollendarum causarum ratio est habenda; itaque scorbutus, morbus maculosus pro sua natura est curandus.

Sed antequam haec cura instituitur, plerumque ut inhibeatur sanguis necesse est. Namque si non succedit, ut dissoluti sanguinis profluvium sistatur, hoc ipsum eo citius vitam aegrotae finiet, quo magis jam antea collapsae erant vires. Ex internis in primis conveniunt acida, pro re nata cum tinct. Cinnamomi, Oleis aethereis, Opio conjuncta; ex externis injectiones frigidae, Tampon, imo compressio conducunt.

§. 32.

IV. *Cura metrorrhagiarum ex causis organicis et mechanicis.*

Inhibitio sanguinis primum curae objectum est.

---

63) Titzel, Diss. de transfusione sanguinis. Berol. 1824.
Waller, De sanguinis in periculosa haemorrhagia uterina transfusione. Erlang. 1832.

Tum polypi, carcinoma, scirrhus, induratio, hypertrophia, prolapsus, inversio uteri ex praeceptis chirurgiae artisque obstetriciae tractanda sunt.

d) Cura metrorrhagiarum ex diversis uteri statibus.

§. 33.

I. *Cura menstruationis morbosae.*

1. Menstruationis nimiae.

Menstruatio nimia in primis postulat, ut quae in cura prophylactica praeceptae sunt regulae generales, accurate observentur. Fruantur igitur aegrotae sub tempus menstruationis quiete summa, diaetaque parca.

Tum causae ipsae sunt respiciendae:

a) Plethora vera venae sectionem et interna refrigerantia, Nitrum, sera lactis aluminosa, desiderat.

b) Sensibilitate systematis genitalis adaucta cum refrigerantibus conjungantur antispastica, tinct. Opii, Castorei.

2. Menstruationis dolorificae.

Hic momenta duo, quorum in describenda aetiologia mentionem fecimus, respicienda sunt.

a) Activa sanguinis congestio venae sectiones non ita magnas, remedia refrigerantia cum narcoticis conjuncta desiderat;

b) Erethismus autem nervorum adauctus anti-

spastica: ut tinct. Opii simpl. ʒβ., tinct. Castorei ʒj. M. S. pro dosi 20—50 gutt.; una cum infuso ex rad. Valerianae, flor. Chamomill., herbae Melissae aa ℥β.

§. 34.

II. *Cura metrorrhagiarum extra graviditatis, partus et puerperii tempus.*

1. Si nimia uteri ejusque vasorum laxitas causam praebet, energia atque vitalitas systematis uterini erigenda est. Cui rei inserviunt tonica, ut Gentiana, Cascarilla, ferrum, una cum Opio et Cinnamomo conjuncta. Mixtura ex tinct. theb. ʒβ cum tinct. Cinnam. ℥β prima aut secunda quaque hora gtt. XX. eximium praebet auxilium.

2. Si, ut crebro fit, ex hypertrophia uteri menstruatio nimia pendet, malum difficile est remotu. Adstringentia tum externa tum interna, praesertim China, ferrum, acida laudantur; e. g.:

℞. Ferri pulveris.
Acidi phosphor. sicci.
Extr. Chinae aa ʒiij.

M. f. pil. pond. gr. ij. S. per singulas horas 8—10 pil.

Praeterea sanguis ad anum derivandus et interna resolventia, extr. Taraxaci, Chelidonii — pro re nata cum Conio, Bella Donna conjuncta adhibenda sunt.

3. Saepissime his metrorrhagiis locales causae subsunt. Quapropter in primis omnium accurata locali inquisitione opus est. Prolapsus et inversiones uteri reponendae et retinendae, polypi subligandi; induratio, scirrhus, carcinoma ex artis medicae praeceptis tractanda.

Quae aetate decrepita vexant feminas metrorrhagiae, accuratius considerandae sunt:

a) Si activo indutae sunt charactere, pulsus ergo plenus, congestionesque adparent, regimen antiphlogisticum, venae sectiones per intervalla repetendas, acida mineralia, emulsiones nitrosas desiderant.

b) si adaucta systematis genitalis sensibilitate et constitutione erethica nituntur, acida cum antispasticis conjungenda sunt.

Saepe ex haemorrhoidibus, obstructione et accumulatione faecis nocentis in abdomine pendent. Cui rei cura resolvens convenit: extr. Taraxaci, remedia saponata, sera lactis. Morbus biliosus vermesque sunt removendi. Si accidit, ut haemorrhagia praeceps existat, omnia, quae supra commemoravimus, interna et externa in usum vocanda sunt remedia.

c) Hypertrophia aliaque uteri vitia curam paulo supra dictam requirunt.

§. 35.

III. *Cura metrorrhagiarum inter graviditatem.*

1. Sanguinis profluvia primis graviditatis men-

sibus, quae pro continuata menstruatione haberi possunt, non activam desiderant curationem. Situs horizontalis, diaeta parca, et sanguinis plethora praeminente non ita magnae venaesectiones, acidaque mineralia plerumque sufficiunt.

2. Si autem metrorrhagiae pro continuata menstruatione haberi non possunt, cum abortu conjunctae sunt, cujus diversarum causarum curam desiderant. In primis omnium situ horizontali, animi corporisque quiete opus est. Tum:

a) Si vis externa aut activa congestio abortum provocavit, venae sectio est instituenda.

b) Adaucta nervorum systematis sensibilitate acida cum Opio opem praestant.

c) Si ex atonia uteri pendet, acida et adstringentia tam interna quam externa auxilium ferunt.

Quibus adhibitis remediis si abortus cohiberi nequit, quod vehementibus doloribus atque haemorrhagia profusa et orificio uteri dilatato evenire solet, exclusio ovuli naturae relinquenda, partusque ipse secundum artis obstetriciae praecepta tractandus est.

Si vero haemorrhagia gradum vitae infaustissimum adtigit, haec ipsa quibuscunque remediis cohibenda est. Tinctura Cinnamomi et Secale cornutum alternis porrigenda, fomenta abdominis spirituosa adplicanda sunt.

Si autem continuata haemorrhagia partus ipse

cessat, tunc arte provocandus et velamenta aperienda sunt. Quo facto metrorrhagia sistitur subsequente foetu.

3. Postero graviditatis tempore metrorrhagiae ex placenta praevia originem ducunt. Si situs horizontalis, quies corporis animique, stypticorum internus et externus usus spem medici frustrantur, primum tampone in vaginam immisso sanguinem cohibere studeto. Quo labore frustra suscepto in partu vi provocato (accouchement forcé) una quaerenda est salus [64].

§. 36.

IV. *Cura metrorrhagiarum inter partum.*

1. In primo aut secundo partus stadio ante exclusum infantem haemorrhagiae ex placenta per partes tantum soluta pendent. Parturiens mulier situm horizontalem in primis occupet; porrigantur acida conjuncta pro re nata cum Opio et tinctura Cinnamomi. Continuatâ haemorrhagiâ eâdemque Tamponi non cedente dirumpi necesse est ovuli velamenta, ut descendente in orificium uteri infante et contractione indeque conclusione vasorum sanguinem emittentium factâ sanguinis cohibeatur profluvium. Quod conamen si et ipsum ad irritum cadit, partus arte provocandus est.

---

64) Conf. Jörg. libr. cit. II. §. 50.
Osianders Grundriss der Entbindungskunst. II. 450.
Busch, Geburtshülfe. §. 497, 711, 957.

2. Si quinto partús stadio, itaque post exclusum infantem placenta per partes tantum soluta haemorrhagiam provocat, remediis ante dictis contractio uteri tentanda est. Operà perditâ extemplo placenta arte removeatur, quia mora interposita parturientis vitam infestat.

Quando accidit, ut placentâ per partes tantum solutâ incarceratio placentae oriatur, quam metrorrhagia comitatur, quaque temporis jactura periculum augetur.

Itaque nulla mora interposita manus in uterum immittatur; quod si in tempore fit, nullis sane difficultatibus obstructum est: nam uterus ipse, dum immittitur manus, eam dilatandi nascitur facultatem, ut in solvenda artis ope emovendaque placenta nihil sane positum sit difficultatis. Quo facto manum iterum immittere normalemque contractionem externis abdominis frictionibus adjuvare necesse erit [65].

3. Haemorrhagia ex ruptura uteri aut funiculi umbilicalis partum arte provocandum postulat.

4. Si causa metrorrhagiae in nimis matura placentae solutione, incompletaque uteri contractione

---

65) El. v. Siebold, Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Frankf. 1815. II. §. 1534.
Sommer's Beobachtungen über die in der Gebärmutter zurückgebliebene und in einem Sacke eingeschlossene Nachgeburt. Gött. 1771.
Stark's Archiv. I. 1. p. 104.
Stark, Diss. de strictura uteri. Jenae 1796.

quaerenda est: cito injectiones frigidae frictionesque uteri instituantur. Eadem est utero non satis contracto ratio.

5. Quando metrorrhagia inversione uteri nititur, uterus ex praeceptis artis extemplo reponendus. Quo facto si haemorrhagia continuatur, remediis supra commemoratis internis externisque cohibenda est [66]).

6. Metrorrhagia ex imperfecta post exclusum placentam contractione uteri in periculosissimis habenda est, omnesque medici cogitationes diligentemque curam sibi vindicat. Id in primis omnium videndum est, ut contractio uteri provocetur, damnoque sanguinis deperditi occurratur. Quod ut fiat, omni interdum tum internorum tum externorum contra haemorrhagias remediorum adparatu opus est. Quibus omnibus frustrantibus compressionis Aortae periculum faciendum est. Si haec quoque spem destituit, symptomataque virium omnino prostratarum mortisque imminentis adparent, haud scio an in transfusione sanguinis unum ponendum sit praesidium.

7. Haemorrhagiae, quae ex vaginae varicibus aut aneurysmatibus vel ipsa vagina aut adeo perinaeo ruptis oriuntur, stypticis externis remediis cedere solent. Rarius ligatura opus est.

§. 37.

V. *Cura metrorrhagiarum inter puerperium.*

1. Saepe in puerperio et crebrius quidem post

---

66) Busch, Handbuch der Geburtshülfe. §. 625—636.

abortum quam post partum solitum metrorrhagiae relictis in utero vel ovuli vel placentae residuis oriuntur. Quae si tepidis injectionibus non solvuntur, quod sane saepius accidit, arte removendae sunt.

2. Si excluso infante haemorrhagiae internae, quarum supra mentionem fecimus, exsistunt, in causas earum requirendum est. Placentae enim aut velamentorum reliquiae si orificium concludunt, istud caute amplificandum est, ut impedimentis exitus pateat.

VITA.

Monasterii, urbe Guestphalorum primaria, patre *Mauritio Advena*, matre *Philippina Neubrück*, christianam religionem profitentibus ego *Florianus Maria Advena* natus sum. Absoluto Gymnasii cursu sexenni, maturitatis testimonio instructus primum studiis philologicis operam dare coepi; deinde autem ut medicinae navarem, Giessam Summi Ministerii impetrata permissione me contuli. Quibus hic interfui praelectionibus, hae sunt:

Anatomiam corporis humani, artemque cadaverum rite dissecandorum, Physiologiam, Botanicen me docuit Ill. *Wilbrand.*

Osteologiam, Mineralogiam Ill. *Wernekink.*

Chemiam tum theoreticam tum practicam Ill. *Liebig.*

Pathologiam generalem, medicinam forensem Ill. *Nebel.*

Doctrinam de febribus Ill. *Balzer.*

Literaturam Anglorum et Italorum recentem Ill. *Adrian.*

Unum dimidiumque annum quum moratus essem Giessae, tempore autumnali Gryphiam profectus, ibique a Rectore t. t. Magnifico Ill. *Barkow* in civium academicorum numerum receptus, apud medicorum ordinis Decanum maxime spectabilem Ill. *Berndt* nomen professus sum. Audivi autem has praelectiones:

Therapiam generalem, Pathologiam ac Therapiam specialem, artem obstetriciam, morbos psychicos, morbos infantum me docuit Ill. *Berndt.*

Anatomiam corporis humani, et anatomiam pathologicam Ill. *Schultze.*

Semioticen, Materiam medicam, methodum formulas medicinas concinnandi, artem fascias rite adligandi, Chirurgiam tum generalem tum specialem Ill. *Seifert.*

Ophthalmiatricem Cel. *Kneip.*

Angiologiam, Neurologiam et Splanchnologiam Cel. *Laurer.*

Akiurgiam, doctrinam de ossium fracturis et luxationibus Exp. *Biel.*

In clinico medico et obstetricio duce usus sum Ill. *Berndt*, nec minus conversatorio ab Eodem ore latino instituto interfui; praeterea operationibus chirurgicis in cadavere institutis, nec minus in clinico chirurgico et ophthalmiatrico duce usus sum Cel. *Kneip.*

Quibus viris omnibus quam maxime de me meritis gratias agere juvat, eorumque semper memoriam pio gratoque animo servabo.

Examinis philosophici officio Summi Ministerii rescripto solutus, tentamine autem medico et examine rigoroso peractis, spero fore ut dissertatione et thesibus defensis summi in medicina, chirurgia arteque obstetricia honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Singula graviditatis signa certa nulla sunt.

II.

Synchondrotomiam rejiciendam esse censeo.

III.

Icterus symptoma tantum morbi.

IV.

In curandis ulceribus dyscrasia maxime est respicienda.